

omninò impossibile, quòd videns summè A  
diligibile, non diligit ipsum : ergo, &c.

## R E S O L V T I O.

*Impossibile est videre Deum apertè, & ipsum non diligere, quia intentio voluntatis necessariò in intellectu requiritur, propter debitum ordinem; actualitatem, & iudicium, quod declaratur ex parte obiecti, intelligentis, & modi intelligendi.*

Opinio a-  
liorum.

RESPONDEO dicendum, quòd B  
de hac re sunt opiniones: voluerunt enim quidam, quòd saltim virtute diuina fieri possit, vt videns Deum per essentiam, non diligeret ipsum: quia (vt aiunt) posset Deus ipsam voluntatem tollere: quod si faceret, ita ibi esset actus intelligendi, quod non esset ibi actus volendi, & diligendi.

Opinio Do-  
ctoris.

Hoc ergo modo procedemus in hac  
quæstione, quia primò ostendemus, quòd  
aliquid, quod non est de ratione rei se-  
cundum se, vel quòd est origine poste-  
rior, est tamen de ratione rei, prout ha-  
bet esse in effectu. Secundò declarabimus,  
quòd velle, licet sit posterius, ipso in-  
telligere; tamen nisi esset intentio volun-  
tatis copulans, nihil contingeret intelli-  
gere: propter quod velle est de ratione  
ipsius intelligere, non secundum se, sed  
vt in effectu. Vel est de ratione ipsius, ac-  
cipiendo esse de ratione, largè, prout esse  
de ratione alterius, est sine quo id esse  
non potest, & quia non contingit aliud  
intelligere, nisi concurrat ibi intentio vo-  
luntatis: ideo dicitur, quòd velle est de  
ratione ipsius intelligere; neque hoc mo-  
do posteriora possunt esse de ratione prio-  
rum. Tertio declarabimus, quòd ista,  
non possunt stare, quia contingeret nos  
velle intelligere Deum, absque eo, quod  
diligamus ipsum tale intelligere.

Quomodo  
prius possit  
esse de ra-  
tione poste-  
rioris.

Essentia fit,  
quia comu-  
nicatur ei  
esse.

Primum enim sic declaratur; dicimus  
enim, quòd esse non est de ratione ipsius  
essentiæ, & tamen secundum quòd essen-  
tiæ est in effectu, esse est de ratione eius;  
quia non posset fieri essentia sine esse; nam  
hoc modo fit essentia, in quantum com-  
municatur in esse.

Secundum autem sic ostenditur, quòd

nisi esset intentio voluntatis, copulans  
parentem proli, nihil omninò contingeret  
intelligere; nam ratio non sufficit, vt fiat  
impressio in ipsa potentia cognitiua, nisi  
per intentionem voluntatis feramur su-  
pra ipsam impressionem: si enim aperire-  
tur oculus dormienti, fieret impressio lu-  
cis in ipsum oculum, ille tamen nihil ex  
hoc videret, quia per intentionem vo-  
luntatis conferretur supra ipsam impres-  
sionem. Vnde Aug. 1. 1. de Trin. cap. 8. &  
9. istam materiam pertractans, primo in  
8. cap. dicti lib. ostendit, quòd voluntatis  
est omnia coniungere, & disiungere; vn-  
de ait: *Voluntatis posse sicut adiungit sen-  
sum corpori, sic memoriam sensui; sic etiam  
adiungit aciem cogitantis memoriæ. Quæ  
autem conciliat, ista coniungit, ipsa etiam  
disiungit, & separat.* Vult ergo, quòd  
coniungere, & disiungere potentias à suis  
obiectis pertinet ad voluntatem. Ad ean-  
dem etiam voluntatem pertinet non solum  
potentiam coniungere suo obiecto,  
sed etiam disiungere, quod fit in ipsa po-  
tentia ab ipso obiecto, vel à specie obiecti;  
vt si ab ipso sensibili imprimatur ali-  
quid sensui, concurrat ibi intentio volun-  
tatis, copulans id, quod est impressum, &  
à quo est impressum; & si à specie in me-  
moria fit species in aciem cogitantis, con-  
currat ibi intentio voluntatis, copulans  
prolem parenti, & speciem in acie speciei  
memoriæ.

Si aperian-  
tur oculi  
dormientis,  
cur ipse nō  
videat.

Coniungere,  
& disijunge-  
re potētias  
à suis obiectis  
pertinet ad vo-  
luntatem.

Intētio vo-  
luntatis co-  
pulans pro-  
lem paren-  
ti in intel-  
lectione.

Quæremus ergo ad quid requiratur ibi  
intentio voluntatis; quòd si dicatur pro-  
pter impressionem fiendam in ipsa poten-  
tia cognitiua, vel propter conseruandam  
ibi talem impressionem; patet esse falsum  
per exemplum, quòd posuimus de ho-  
mine dormiente: quia si aperiretur oculus  
dormientis, obiectum imprimeret in hu-  
iusmodi oculo similitudinem suā, & con-  
seruabit eam ibi, sicut imprimit eam in  
medio, & etiam conseruat; nec tamen  
propter hoc erit ibi visio, quia dormien-  
tes non vident, licet somnient se videre.  
Requiritur ergo intentio voluntatis, non  
solum propter impressionē aliquam cau-  
sandam, vel conseruandam, sed etiam  
propter iudicium fiendum de re cognita.  
Dicimus autem, quòd intentio volunta-  
tis ad cognitionem habendam de re ali-  
qua, potest requiri propter tria, videlicet  
propter

Obiecto.

Solutio.

Voluntatis  
intētio pro  
pter tria re  
quiritur in  
cogitatioe

propter debitum ordinem, propter debi-  
tam actualitatem: & propter debitum  
iudicium; Propter debitum ordinem; quia  
potest quis per intentionem voluntatis  
auertere sensum à re sensibili; vt auertere,  
vel claudere oculos, ne videatur sensibi-  
le, & aures ne audiat audibile, & sic  
de similibus alijs, vt patet per Aug. 11.  
de Trin. cap. 8. Requiritur etiam intentio  
voluntatis, non solum propter debitum  
ordinem, sicut patuit in sensu; sed etiam  
propter debitam actualitatem, sicut patet  
in intellectu; nam cum in intellectu sint  
multæ species, nulla est tantæ actuali-  
tatis, vt possit de se causare actum in-  
telligendi, nisi per intentionem volunta-  
tis feratur super phantasma; vt fiat species  
illa magis in actu, sicut apparet in nobis,  
vel etiam in Angelis; nisi enim Angelus  
per intentionem voluntatis ferretur super  
hanc speciem determinatè, non causaretur  
in intellectu eius propter huiusmodi  
speciem actus aliquis intelligendi.

Tertiò requiritur intentio voluntatis  
propter debitum iudicium; nam licet per  
intentionem voluntatis possimus sensus  
nostros conuèrtere ad sensibilia, & habe-  
re debitum ordinem ad ipsa: & licet per  
huiusmodi intentionem possit intellectu-  
alis creatura se conuèrtere super phantasma,  
sicut apparet in nobis, vel super spe-  
ciem intellectualem, sicut contingit esse  
in Angelis; & ex hoc conferre illi speciei  
quendam modum actualitatis: dato tamen,  
quòd esset ibi debitus ordo, & de-  
bita actualitas, & ex hoc fieret impressio  
in ipsa potentia cognitiua, nisi concurre-  
ret ibi intentio voluntatis, non esset ibi  
debitum iudicium per huiusmodi impres-  
sionem, Vnde simile esset si fieret impres-  
sio in medio, vel si impressio fieret in  
oculo dormientis, vbi nullum iudicium  
esset de re cognita: vnde August. 11. de  
Trinit. cap. 9. tam in sensu, quàm in in-  
tellectu declarat, oportere, vt ibi con-  
currat intentio voluntatis; vnde ait: *A  
specie corporis, quæ cernitur, oritur ea  
species, quæ fuit in sensu, & ab hac, quæ  
fit in memoria; & ab ea, quæ est in me-  
moria gignitur species in acie cogitantis;  
quapropter, vt subdit, voluntas, quæ va-  
rentem cum prole copulat, primò speciem  
corporis, cum ea, quam gignit in sensu, &*

**A** ipsam cum ea, quæ fit in memoria, &  
istam in memoria factam cum ea, quæ po-  
nitur in intuitu cogitantis; & sicut est in  
sensu, ita est in intellectu, quòd sine in-  
tentione voluntatis, coniungentis paren-  
tem proli, nihil intelligere possumus. Nam  
etsi ibi esset impressio sine intentione vo-  
luntatis, nullum tamen esset iudicium de  
huiusmodi impressione, non implicaret  
ergo contradictionem, si fieret impressio  
à Diuina essentia in potentia nostra intel-  
lectiua, & quòd conseruaretur ibi huius-  
modi impressio, absque eo, quòd concu-  
rret ibi intentio voluntatis, sed quòd  
de illa impressione esset in nobis aliquod  
iudicium sine intentione voluntatis, quan-  
tùm nobis occurrit, esse non posset sine  
implicatione contradictionis, Sicut ergo  
diximus de sensu, & de oculo dormientis,  
quòd potest ibi fieri impressio, & etiam  
conseruari, sed non erit ibi visio, quia  
non erit ibi iudicium de re impressa, quia  
non concurreret ibi intentio voluntatis:  
sic dicemus de intellectu, quòd si Deus  
causaret impressionem aliquam deriuata-  
m à sua essentia in nostra potentia co-  
gnitiua, & conseruaret ibi impressionem  
illam; si non concurreret ibi intentio vo-  
luntatis, nullum ibi esset iudicium pro-  
pter huiusmodi impressionem: igitur esse  
non potest, quòd intelligamus aliquid, &  
non concurreret ibi intentio voluntatis:  
nam intelligere, vel cognoscere non dicit  
solam impressionem in potentia co-  
gnitiua, quia hoc modo ipsum medium  
cognosceret, sed etiam dicit iudicium per  
huiusmodi impressionem, quam sine concu-  
rsu intentionis voluntatis fieri non po-  
test. Imaginabimur quidem, quòd licet  
intellectus quantum ad primam suam  
Immutationem immutetur quasi natura-  
liter, vt puta, si aliqua assuefactione co-  
gitandi fiat aliqua immutatio in phanta-  
sia, & ex hoc fiat immutatio in intellectu,  
vt non sit in potestate nostra, quid nobis  
eueniat in mentem: attamen nisi statim  
concurreret ibi intentio voluntatis, non  
fieret aliquod iudicium per talem impres-  
sionem, & propriè loquendo nulla ibi es-  
set cognitio. Naturale est enim, quòd ad  
impressionem factam in intellectu statim  
concurrat ibi intentio voluntatis, vt per  
huiusmodi intentionem concurrentem  
iudi-

Sicut in vi-  
sione, ita in  
intellectio-  
ne requiri-  
tur intentio  
voluntatis.

Intelligere  
vel cognos-  
cere nõ dicit  
sola impres-  
sionem in potentia  
cognitiua  
sed etiã iudicium.

Vbi nõ cõ-  
currat intē-  
tio volunta-  
tis non po-  
test esse de-  
bitum iudi-  
cium.

D. P. Aug.  
11. de Tri-  
n. 9. 1. 3.

Ex debilitate intentionis voluntatis sequitur debilis cognitio, & quasi nulla.

D. n. Aug. 11. de Trin. c. 3. 13.

Nulla erit sensatio, neque intellectio sine intentione voluntatis, quævis possit esse impressio.

Intelligere præcedit velle origine, non tempore.

Impressio, Intentio, & Iudicium quomodo se habeant.

audicemus de illa impressione. Potest enim contingere, quod huiusmodi intentio sit fortis, vel debilis, vt cum sumus intenti ad vnum sensum, ita debiliter possemus ferri super impressionem factam in alio sensu, vt non videamur nobis sentire secundum illum sensum; sentimus quidem, sed quia fuit ibi debilis intentio voluntatis, nihil ex hoc repositum fuit in memoria, ideo videtur nobis nihil sensitse: vnde August. 11. de Trinit. ait: *Facile est, quod cum coram loquente nobis aliquid aliud cogitamus, non audiuisse nobis videatur. & subdit: Falsum est, immò audiimus, sed non meminimus, alienati actus voluntatis, per quam infigi solent memoria. Verius itaque (vt ait) cum tale aliquid accidit, melius dicimus, quod non meminimus, quàm quod non audiimus.* Hoc itaque modo saluabimus verba August. quod cum cogitamus aliquid aliud coram loquente nobis, quia debilis est ibi intentio voluntatis, debilis est auditio, vt ex hoc nihil reponatur in memoria; sed si nulla ibi esset intentio voluntatis, nulla ibi esset auditio; potest ergo fieri impressio in sensu, sed nulla fit ibi sensatio, vel iudicium de re sensata, sine intentione voluntatis. Eodem etiam modo in parte potentiæ intellectiue potest fieri impressio in intellectu, sed nulla erit ibi intellectio, vel nullum erit iudicium de re intellecta, nisi concurrat ibi intentio voluntatis. Ostenso, quod nisi concurreret in intelligendo intentio voluntatis nihil intelligeremus, vel nullum haberemus iudicium de re intellecta; propter quod patefactum est, quod non potest esse intellectus in actu suo, nisi sit aliquo modo voluntas in actu suo; generatione enim, vel origine, actus intelligendi præcedit actum volendi, tempore autem, vel duratione non præcedit ipsum; immò statim ad impressionem factam in potentia cognitiua, concurrat ibi intentio voluntatis, vt habeat iudicium de re cognita. Hæc enim tria, videlicet impressio facta in potentia cognitiua, & intentio voluntatis concurrens ad huiusmodi impressionem, & iudicium de re cognita per talem impressionem, possunt ad se inuicem prioritatem habere, secundum generationem, aut originem, non autem secundum tem-

pus, & durationem; quia in tempore si præcederent, & prius tempore fieret impressio in potentia cognitiua, quàm concurreret ibi intentio voluntatis, ex tali intellectu, nulla ibi propriè esset cognitio, quia nullum proprium esset ibi iudicium de re cognita. Quare, etsi velle, vel per voluntatem intendere, origine est posterius, quàm intelligere, & ex hoc non fit de ratione eius secundum se, tamen est de ratione eius, modo, quo dictum est, quia non contingit intelligere aliquid, nisi concurrat ibi velle, & intentio voluntatis: fit enim naturaliter prius impressio in intellectu, quam fiat expressio in voluntate. Sed illa impressio in intellectu non meretur dici intellectio, nisi concurrat ibi intellectio voluntatis: ideo nihil contingit intelligere, nisi concurrat ibi intentio voluntatis. Nec negamus, quod licet non possit fieri intellectio sine intentione voluntatis, quin origine prius sit intellectio, siue actus intelligendi, quàm actus volendi, sed non sit prius tempore, vel duratione.

Verum, quia intellectus hominis non quiescit, fortè aliquis pertinaciter asserit, quod possit esse intellectio, & non concurrat ibi intentio voluntatis, adducens pro se verba Augustini prius assumpta, 9. de Trinit. cap. 8. vbi planè videtur velle, quod sine intentione voluntatis fiat visio; sed nihil ex tali visione in memoria reponitur, vt si audienti, vel videnti aliquid aliud non audiuisse videatur, vel non vidisse; secundum August. ergo falsum est nos non audiuisse, vel non vidisse; sed verum est nos non meminisse.

Propter quod sciendum, quod vt prius diximus, impossibile est esse iudicium de re aliqua sine intentione voluntatis. Nam quod aliquis dicatur iudicare de aliquo, ad quod nullo modo est attentus, vel intentus, est omninò falsum; & quilibet experitur in se ipso hoc esse impossibile; dicere autem, quod nos intelligamus aliquid, de quo nihil iudicamus, nec iudicare possumus, est omninò ridiculum: nullus enim diceret se intelligere aliquid, de quo nihil sciret, vel posset iudicare, vttrum se haberet sic, vel sic, & vttrum esset hoc, vel aliud.

Verba autem Augustini exponi possunt,

Naturaliter se prius impressio in intellectu, quàm in voluntate.

Obiectio.

Responsio.

Intelligere sine iudicio videtur impossibile.

sunt, vt superius exposuimus: naturale est enim, vt diximus, quod ad impressionem, factam in potentia cognitiua, concurrat ibi aliquo modo intentio voluntatis, licet non sit naturale persistere, vel non persistere in tali intellectione, quia potest quis ad hoc se pro voluntate conuertere. Quare saluatur dictum Augustini, quod intentus valde ad vnum sensum, non dicitur sensisse secundum alium sensum, sed non meminisse; quia ex hoc non omnino tollitur intentio voluntatis, sed ex hoc valde debilitatur.

Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quod non potest esse iudicium de re cognita, si non concurrat ibi intentio voluntatis; iste tamen concursus est quasi naturalis, vt non sit semper in potestate nostra prohibere tale velle: possumus enim per voluntatem nostram persistere, vel non persistere in tali intelligere; sed sicut non est in potestate nostra, quid nobis veniat in mentem; ita quod non possumus simpliciter prohibere motus voluntatis, qui consequuntur ad illos intellectuales motus: sed si virtute diuina, & per miraculum sic fieret motio in intellectu, vt nulla ex hoc fieret motio in voluntate; nullum esset iudicium per illam motionem, vel impressionem, & per praesens non esset ibi proprie intellectio. Quare declaratum est, quod non est intellectio sine volitione: tempore enim, & duratione ista sunt simul, licet generatione, vel origine se praecedant.

His autem praelibatis, volumus declarare, quod sicut non contingit intelligere Deum, siue velle intelligere absque eo, quod concurrat ibi intentio voluntatis; ita quod neque contingit intelligere Deum sine diligere ipsum: est enim ibi tria considerare, scilicet Deum, qui intelligitur; nos, qui intelligimus, & modum intelligendi. Tripliciter ergo declarabimus hanc veritatem, primo ex parte ipsius intelligibilis; secundo ex parte modi intelligendi; tertio ex parte ipsorum intelligentium.

Prima via sic patet, quod secundum Dion. 4. cap. de Diuin. nom. Nullum agens respiciens ad malum agit, quod agit: malum enim, secundum ipsum ibidem, est praeter finem, praeter intentionem, praeter vo-

luntatem: Nihil enim praestituit sibi finem malum, in eo quod malum, vel intendit malum, siue vult malum, secundum quod huiusmodi: itaque malum non agit nisi in virtute boni, vt ibidem Dion. ait: si enim malum mouet voluntatem, hoc est sub ratione boni, vt quia apprehenditur in eo, quod bonum: semper enim bonum apprehensum, id est apprehensum sub ratione boni, est motiuum voluntatis, vt declarari habet in 3. de anima. Id ergo, quod nullo modo potest apprehendi sub ratione boni, nullo modo secundum quod huiusmodi potest esse appetibile, ideo de necessitate nullus vult esse miser, quia miseria secundum quod huiusmodi non potest apprehendi sub ratione mali; ideo de necessitate est volita: propter quod Aug. 13. de Trin. cap. 34. & 11. de Ciuit. c. 27. & 10. Confess. cap. 12. hanc declarat veritatem, quod omnes necessariò volunt esse beati, & nulli miseri. Posset ergo contingere, quod non diligeremus Deum indirectè, ratione forè difficultatis proueniendi ad ipsum; sicut dicitur aliquis indirectè sanitate nolle, vel quia non vult potionem amarum, per quam inducitur sanitas; vel posset quis forè non diligere Deum indirectè, quia nesciret, quantum bonum sit Deus; sed si videremus Deum clarè, & iam peruenissemus ad ipsum, quia non posset apprehendi, nisi sub ratione boni, non possemus non diligere Deum.

Nec valet, vt aliqui dicunt, quod posset Deus ipsam voluntatem amouere à nobis; quia vt est per habita declaratum, non contingit nos aliquid intelligere, nisi concurrat ibi intentio voluntatis.

Secundo hoc idem patet ex parte modi intelligendi, nam vt probat Philos. in 1. Rhet. Mutari est delectabile, quia ipsa natura est mutabilis, vel vt utamur proprijs verbis eius, *Transmutare est delectabile, quia in natura fit transmutatio.*

Modus autem intelligendi Deum, est vt intimè feramur in ipsum; vnde & illa visio non erit transmutationi subiecta, nec mensurabitur tempore, sed æuo. Ratione ergo modi intelligendi delectabile semper erit esse in Deo; & nunquam nos auertere à Deo, quod non poterit esse sine delectatione Dei. Ad hoc autem valet, quod dicitur

Malum est praeter finem intentionem, & voluntatem agentis.

Nec miseria, vt sic, potest apprehendi sub ratione boni; nec beatitudo, vt sic, sub ratione mali.

Obiecta Dilutio.

Secunda via

Mutari est delectabile quia natura est mutabilis.

Concursus voluntatis cum intellectu est quasi naturalis: ideo non est semper in potestate nostra prohibere tale velle, sed bene persistere.

Quid si per miraculum moueretur intellectus sine voluntate.

Prima via.

dicitur in Psal. *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Et quod dicit August. 10. Confels. *O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas Deus meus: Beati enim in secula seculorum laudabunt te Dominum;* quia intimè ferentur in Deum, vt non sit illa visio transmutationi subiecta; propter quod nunquam volent se auertere à Deo; sed semper ardebit in eis diuinus amor.

Tertiò hoc idem patet ex parte ipsorum intelligentium; nam intelligentes, & videntes Deum per essentiam, videbant, esse bonum eorum magis in Deo, quàm in seipsis: Sicut ergo per se loquendo, nullus potest non diligere seipsum; sed omnes diligunt seipsos esse; sic quia videbunt, quòd eorum esse magis referuatur in Deo, quàm in seipsis; & quia videbunt, quòd Deus erit magis intimus eis, & magis faciet ad conseruationem eorum: quàm ipsi sint intimi sibi, & quàm propria natura faciat ad conseruationem sui esse: sicut nullus potest non diligere seipsum, ita multò magis, nullus videns Deum, poterit non diligere Deum: potest enim quis velle non esse per accidens, ratione miseræ sibi annexæ: secundum quem modum loquitur August. 11. de Ciuit. Dei cap. 26. dicens, quòd qui miseri sunt volunt interire, cum se miseros esse sentiant, non autem vt seipsos deleant, sed miseriam potius auferri volunt. Per se ergo quilibet vult seipsum esse, & quilibet seipsum diligit: istud verò per accidens, propter quod posset velle seipsum non esse, non poterit esse in visione Dei, vbi nulla miseria, & nihil poterit esse retractiuum à dilectione illa.

### RESP. AD ARGVM.

Ad primum argumentum in contrarium dicendum, quòd licet illa sint diuersa, & vnum tamen non potest esse in effectu sine alio; nam non potest esse intelligere sine velle, nec è conuersò: nisi fortè vellemus sumere intelligere valdè improprie: vbi diceremus intelligere aliquid, absque eo, quod haberemus aliquod iudicium de illo: ad iudicandum ergo de

Licet intelligere, & velle sint diuersa, tamè proprie vnum nõ potest esse sine alio per se à loquendo.

Deus magis intimus beatis, quàm ipsi seipsis.

Per se quilibet vult esse seipsum, per accidens non esse.

aliquo, oportet, vt concurrat ibi intentio voluntatis; quia saltim concomitatiuè oportet ibi talem intentionem adesse.

Ad secundum respondetur, quòd non potest esse intellectus in actu suo, nisi sit aliquo modo voluntas in actu suo. Generatione enim, vel origine, actus intelligendi præcedit actum volendi, tempore autem, vel duratione nequaquam. Quia statim, ad impressionem factam in potentia cognitiua, concurrat ibi intentio voluntatis, vt habeatur iudicium de re cognita: cum verò in obiecto diuino reperitur omnis formalis ratio diligibilitatis summæ, intentio voluntatis non potest non acquiescere iudicio illi, & non diligere obiectum summè diligibile.

Similiter respondetur ad tertium, vt in corpore dictum est. Quod ly ante potest dupliciter considerari, videlicet, vel secundum generationem, & originem, vel secundum tempus, & durationem, primo modo conceditur, secundo modo negatur.

## DISTINCTIONIS XIV.

### Partis Secundæ Principalis

#### De potentia animæ Christi.

## QVAESTIO VNICA

### Quæ habet vnum Articulum tantum.



VIA Magister in hac secunda parte distinctionis 14 comparat potentiam animæ Christi ad potentiam diuinam, ideo queremus vnum tantum, videlicet.

Vtrum animæ Christi fuerit communicabilis omnis potentia, sicut fuit communicata omnis scientia

ARTICVLVS I.

*Vtrum Anima Christi fuerit communicabilis omnis potentia, sicut fuit communicata omnis scientia. Conclusio est negatiua.*

Aegid. 1. sent. d. 43. pr. 2. q. 2. D. Thom. 3. p. q. 13. art. 1. Caiet. Cabr Med. Val. ad 3. p. tom. 4. q. 13. punct. 1. Rag. ad 3. p. disp. 104. Vasquez ad 3. p. disp. 57. cap. 1.



**A**D hunc Articulum sic proceditur. Videtur, quod Anima Christi fuerit communicabilis omnis potentia, sicut fuit communicata omnis scientia: quia sicut omnis potentia respicit infinita obiecta, sic & omnis scientia: sed scientia omnium communicata est animae Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae Dei absconditi: ergo & omnipotentia.

Præterea. Virtus diuina est infinita, quia potest infinita producere: sed posse producere infinita est creaturae communicabile; potuit enim Deus ab aeterno facere mundum, vt dictum est in secundo sententiarum, quod si fecisset, Sol habuisset causalitatem super infinitos effectus: non ergo est contra rationem creaturae habere potentiam infinitam.

Præterea. Non est minus habere naturam infinitam, quam virtutem: sed communicatum est alicui creaturae, habere infinitam naturam: quia secundum Authorem in lib. de causis. Intelligentiae sunt compositae ex finito, & infinito, siue ex esse, & natura: vnde secundum ipsum habent naturam infinitam: ergo virtutem infinitam habere possunt, & consequenter scientiam infinitam.

Præterea. Cuilibet potentiae passivae in natura debet respondere actiua potentia: cum igitur potentia materiae se extendat ad infinita, oportet dare aliquam virtutem agentem ex suppositione materiae, quae possit omnes illos effectus de materia educere, ad quos materia est in potentia:

Aegid. super iij. Sent

**A** huiusmodi autem non erit diuina virtus: tum quia talis virtus non agit ex suppositione materiae: tum quia Deus mouet huiusmodi corporalia mediante causis secundis: erit ergo huiusmodi virtus aliquid creatum: igitur aliqua creata virtus erit infinita.

**IN CONTRARIUM** est, quia omnis creatura est certis circumscripta limitibus: vnde secundum Damasc. lib. 2. cap. 2. ipsi Angeli circumscriptibiles sunt, sed nihil tale potest habere infinitam potentiam, ergo.

**B** Præterea. Potentia creandi in omnipotentia continetur: sed talis non potest communicari creaturae, vt in secundo dictum est: ergo &c.

RESOLVTIO.

*Anima Christi non est actus purus, sed eius virtus est aliquo modo materialis; habet esse ab alio, & in agendo alteri virtuti innititur, ideo ei communicari non potest omnis scientia, nec omnis potentia, quae soli Deo conuenit, quia omnia ordinat: omnia conseruat: omnia producit: & omnia ad se conuertit: Aliquis tamen modus infinitatis creaturae attribui potest, quatenus superior creatura ab inferiori comprehendi non potest.*

**RESPONDEO** dicendum, quod vt habitum est, virtus ex hoc dicitur infinita, quia non est in materia recepta, quia non est contracta ad genus, vel ad speciem, & quia in agendo non innititur alij virtuti, cum igitur hoc creaturae repugnet, nulli creaturae communicari potest: habet enim quaelibet creatura aliquam potentiam admixtam; propter quod virtus eius non est penitus immaterialis, habet esse participatum & ab alio, propter quod ad genus, vel speciem est contracta, agit mota, & vt instrumentum diuinum: propter quod quaelibet virtus creata virtuti diuinae innititur: solus autem Deus est simpliciter infinitae virtutis: quia solus ipse est simpliciter immaterialis, & nec ad genus, nec ad speciem determinatur, &

Vu in

In 1 sent. d. 43. pr. 2. q. 1

Quare Deus dicitur infinitus, & non creatura.

in agendo nulli virtuti innitur, quæ omnia ex hoc contingunt, quia ipse est actus purus: Nam ex hoc est summè immaterialis, & nullam potentialitatem habet admixtam, quia est actus purus, & ex hoc nec ad genus, nec ad speciem determinatur; quia cum sit actus purus, & sit ipsum esse, non determinatur ad aliquod esse, sed in eo omnis effendi ratio referuatur. Rursum ex hoc habet, quòd in agendo nulli virtuti innitur, quia quod alij virtuti innitur, & à virtute alia suscipit firmitatem, habet aliquam potentialitatem admixtam, propter quam suscipit influentiam virtutis, à qua roboratur. si ergo creaturæ communicari posset habere potentiam infinitam, communicari eidem posset, quòd esset actus purus, & quòd esset Deus, quod est inconueniens.

Possimus autem si volumus assignare quatuor, in quibus Dei omnipotentia manifestatur, quæ creaturæ communicari non possunt, propter quod nec ei omnipotentia comunicari potest. Dicitur enim Deus omnipotens, vel manifestatur nobis omnipotentia eius quadrupliciter. Primo quia ordinat. Secundo quia omnia conseruat. Tertio, quia omnia producit. Quarto quia omnia ad se conuertit. hæc autem quatuor tangit D. Dionys. de Diu. nom. 10. dicens, Deum esse omnipotentem, quia omnia continet, & collocat quantum ad primum, & addit, quòd est omnia fundans constringens, & firmans quantum ad secundum, & subdit quòd ex seipsa diuina virtus, quemadmodum ex radice omnia producit, quantum ad tertium, & sequitur, quòd ad se ipsum omnia conuertit quantum ad quartum. In quantum Deus omnia ad se conuertit, est summè bonus, siue est finis omnium, in quem omnia ordinantur. Prout vero omnia ordinat, & constringit, est summè vnus, quia rationis ordo ab vnitate incipit, vt dicitur vigesima prima propositione Procli. In quantum autem omnia producit, agit nullo præsupposito, & non habet esse in natura receptum. Prout autem omnia conseruat, & est omnibus causa effendi, est ipsum esse, in quo omnis ratio effendi referuatur.

Cum igitur creaturæ communicari non possit, vt sit ipsa bonitas, & summum

A bonum, ei communicari non potest, vt omnia ad se conuertat.

Secundò, cum ei non possit tribui, quòd sit ipsa vnitas, in qua nullus est numerus, ei communicari non poterit, quòd omnia ordinet, & suis locis disponat.

Tertio, quia omne creatum, eo ipso quòd creatum est, habet esse in natura receptum: nulli creaturæ communicari poterit, vt agat nullo præsupposito, & vt omnia producat.

Quarto, quia cum quodlibet creatum habeat aliquam potentialitatem admixtam, & non sit ipsum esse, nulli tali communicari poterit, quòd omnia conseruet, & sit omnibus causa effendi. Simpliciter ergo loquendo, nulli creaturæ communicari potest omnipotentia, & virtus infinita.

Aliquæ tamen modum infinitatis comunicari creaturæ, non est inconueniens, secundum quem modum intelligentia dicitur habere virtutem infinitam in inferioribus, in quantum corporalia, & inferiora virtutem intelligentiæ comprehendere non valent.

Quomodo creatura liqua potest dici infinita.

## RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quòd nulli creaturæ, vt creatura est, comunicata est omnis scientia simpliciter: nam anima Christi non æquatur Verbo, simpliciter loquendo; nec in numero scitorum, nec in limpitudine sciendi; Sed dato, quòd alicui creaturæ comunicari possit omnis scientia; non propter hoc dicitur, quòd ei comunicari possit omnipotentia; quia scientia animæ est in recipiendo; sed potentia, vt hic de ea loquimur, est in agendo; & non ita repugnat creaturæ infinitas passiuè, sicut actiuè.

Ad secundum dicendum, quòd si mundus fuisset ab æterno, virtus Solis non fuisset infinita simpliciter, quia semper fuisset determinata ad aliquos effectus; competeret tamen ei aliquis modus infinitus; & sic virtutem creatam esse infinitam, non est inconueniens.

Ad tertium dicendum, quòd nulla creatura habet naturam infinitam simpliciter,

Quadrupliciter manifestatur Dei omnipotentia: quia ordinat, producit, conseruat, & ad se conuertit omnia.

Anima Christi non æquatur Verbo, nec in numero scitorum, nec in limpitudine sciendi; Sed dato, quòd colligitur non vidisse res in Verbo se etia simpliciter intellegit, quia æquatur in numero scitorum; sed tantum visionis, vt in quaestione sequenti.



Quia esse  
intelligen-  
tia non est  
recepta in  
materia,  
intelligentia  
dicitur ali-  
quo modo  
inanimata:  
non quia  
esse eius est  
receptum in  
natura,  
ideo impo-  
tenter est in-  
nata.

Quæ sit vir-  
tus intelli-  
gentiæ mou-  
entis or-  
bem.

In materia  
sunt ratio-  
nes femina-  
les, & obe-  
dientiales,  
& ad quas  
se extendat  
virtus natu-  
ralis agen-  
tis.

citer, cum quælibet creata natura deter-  
minetur ad aliquod genus, vel ad ali-  
quam speciem; aliquis tamen modus in-  
finitatis potest competere alicui naturæ  
creatæ, secundum quem modum dicimus  
naturam intelligentiæ infinitam; quia non  
est recepta in materia; esse tamen eius fi-  
nitum dicimus, quia est receptum in na-  
tura.

Ad quartum dicendum, quod si est ali-  
qua virtus creata, quæ possit educere de  
materia omnia illa, quæ sunt in potentia  
secundum rationes feminales, sicuti for-  
tè est virtus intelligentiæ mouentis Or-  
bem; quia mediante cœlesti corpore, &  
agētibus particularibus, omnia talia edu-  
cit; non tamen propter hoc virtus eius est  
infinita: tùm quia agit ex suppositione  
materiæ: tùm quia præsupponit ex ne-  
cessitate ordinem secundarum causarum:  
tamen quia limitatur virtus eius ad ali-  
quos effectus particulares, nam ex mate-  
ria omnis effectus educi non potest, &  
rursus præsuppositis particularibus agen-  
tibus, & corpore cœlesti, non potest de  
materia educere omnia illa, ad quæ ma-  
teria est in potentia secundum rationes  
obedientiales, licèt fortè possit ad ea, ad  
quæ est in potentia secundum rationes  
feminales.

DISTINCTIO XV.



**I**LLUD quoque  
præmittendū  
nō est, &c. Post-  
quam Magister  
in superiori di-  
stinctione de-  
terminavit de  
scientia, & po-  
tentia Animæ  
Christi, compa-

rativè ad scientiam, & potentiam Dei.  
In hac distinct. 15. incipit agere de defe-  
ctibus sine culpa, quos assumpsit Christus  
in humana natura. Et diuiditur in duas  
partes principales; in quarum prima ad  
ostendendum, Christum verum corpus sus-  
cepisse, ait, Christum habuisse defectus  
corporis, puta famem, sitim, & huiusmo-  
di. In secunda ad ostendendum Christum

Aegid. super iij. Sent.

**A** habuisse veram animam, ait, eum habuisse  
defectus animæ, puta tristitiam, dolo-  
rem, &c. Prima ibi: *Illud quoque præter-  
mittendum non est, &c.* Secunda diuiditur  
in quinque partes, in prima pandit quos,  
& quales defectus Christus assumpsit.  
In secunda obijcit autoritatē Leonis Pa-  
pæ, & soluit. In tertia testimonijs Sacræ  
Scripturæ ostendit, quod Christus veros  
habuit, corporis, & animæ dolores. In  
quarta obijcit contra hoc, & obiectioni-  
bus respondet: in quinta adducit verba  
Hilarij, quæ in his dictis magnam gignunt  
difficultatem, & ea exponit. Prima ibi:  
*Quaedam autem non per corpus, &c.* Se-  
cunda ibi: *Tradit autoritas, &c.* Tertia  
ibi: *Sed quia nonnulli, &c.* Quarta ibi:  
*Quaedam tamen reperiuntur, &c.* Quinta  
ibi: *Verumtamen magis mouent, &c.* &  
sic terminatur sententia præsentis distin-  
ctionis.

Circa hanc distinctionem queritur de  
duobus principalibus, primò de poenis,  
quas Christus voluntariè assumpsit. se-  
cundò de Angelo, qui Christum in pas-  
sione confortauit.

DISTINCTIONIS XV

QVAESTIO PRIMA

PRINCIPALIS.

De pœnalitatibus Christi.



**C**IRCA pri-  
mam quæstio-  
nem duo quæ-  
runtur.

Primum. V-  
trum poenæ,  
quas volunta-  
riè Christus as-  
sumpsit, fue-  
rint a Deo.

Secundum. Vtrum poenâ sine culpa  
dari possit.





## ARTICVLVS I.

*Vtrum pœnæ, quas voluntariè Christus assumpsit, fuerint à Deo.  
Conclusio est affirmatiua.*

Aegid. 2. sent. dist. 38. q. 2. art. 2. Tho. 2. sent. dist. 36. q. 3. art. 1. D. Bonau. dist. ead. ar. 3. q. 2. Ricchar. ibid. q. 6. Capreo. ibid. q. vlt. Dur. dist. 37. q. 2.



**A**D primum sic proceditur. Videtur, quòd pœnæ, quas voluntariè Christus assumpsit, non fuerint à Deo, quia Magister in secundo sent. dist. 36. dicit: *Nullum præiudicium fit veritati, si ipsa peccata essentialiter dicantur esse pœnæ: sed Christus passus est pro peccatis, & peccata non sunt à Deo: ergo &c.*

Præterea. Aliqui iniuste passi sunt, & præcipuè Christus pœnas à iudice: sed iniustitia non est in Deo: ergo, &c.

Præterea. Innocentem, vel peccatum non habentem, pati, non videtur conuenire Deo; sed Christus fuit omninò innocens: quia erat innocens Agnus, & nullum peccatum habebat: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: ergo, &c.*

Præterea. Deus secundum Apostolum: *Vult omnes homines saluos fieri. sed qui vult salutem alicuius, vult ei bonum, & non malum, pœna autem est malum: ergo, &c.*

**I**N CONTRARIVM est Augustinus 1. Retract. cap. 8. qui vult, quòd omnis pœna sit iusta; sed omne iustum est à Deo: ergo &c.

Præterea. Amos 3. *Non est malum in Ciuitate, quòd non faciat Dominus. sed hoc non potest intelligi de malo culpæ: ergo de malo pœnæ.*

## RESOLVTIO.

*Pœna, quas Christus assumpsit fuerunt à Deo, illas voluntariè assumente, acceptante, & causante.*

**A** RESPONDEO dicendum, quòd pœna Christi fuit dissimilis omnibus alijs, quia in alijs hominibus pœnæ, quas patiuntur, possunt dici aliquo modo causate ab aliqua eorum culpa: sed in Christo, vbi nulla fuit culpa, nec originalis, nec actualis, eius pœnas sic causatas nullo modo dicere possumus.

Tripliciter ergo pœna Christi fuit à Deo: primo fuit à Deo eam voluntariè assumente. secundo fuit à Deo illam acceptante. tertio fuit à Deo illam causantem: fuit ergo pœna Christi à Deo voluntariè illam assumente: nam Christus fuit verus, & perfectus Deus, ante secula à Patre genitus, & verus, & perfectus homo à Matre in seculo natus: propter quod pœna Christi fuit pœna ipsius Dei, & passio Christi fuit passio ipsius Dei. Nam per passionem illam ipse Deus dicitur passus, quia, vt ait Damascenus, *Actiões, & passiones sunt suppositorum*; Natura enim potest esse ratio agendi, vel patiendi, sed ipsum suppositum est, quod agit, & patitur: &

quia in Christo non erat nisi vnum suppositum, & vna persona, quæ erat verus Deus, & verus Filius Dei Patris: ideo in passione illa verus Deus patiebatur, & verus Deus substinebat pœnam, non secundum naturam diuinam, sed secundum humanam; hoc tamen non obstante, verus Deus patiebatur, quia, vt dictum est, natura est ratio actionis, vel passionis; natura formæ est ratio actionis; natura materiæ est ratio passionis; sed id cui attribuitur actio, & passio, vel id, quod agit, & patitur, est ipsum suppositum, vel ipsa persona: ideo dicit Philosophus in 1. de anima: *Anima non intelligit, sed homo per animam*: potest ergo anima, vel potentia intellectiua animæ non esse ratio intelligendi, & esse id, per quod homo intelligit: sed ipse homo, idest ipsum suppositum humanum, vel ipsa humana persona est id, cui attribuitur actus intelligendi, & est id, quod intelligit: ideo ibidem dicitur: *Anima non intelligit, sed homo per animam*.

Ipsam ergo suppositum, & ipsa persona diuina, idest ipse Deus à Patre genitus erat ille, qui patiebatur: sed ratio patiendi

*Pœna Christi fuit à Deo eam voluntariè assumente.*

*Natura est ratio agendi; suppositum est, quod agit, & patitur.*

*Natura formæ est ratio actionis; natura materiæ est ratio passionis.*

*Arist. 1. de anim. c. 6.*

tiendi in eo erat natura humana, non diuina. Natura ergo humana non patiebatur, sed Deus patiebatur in illa natura, & per illam naturam, per quam factus est homo, & verè passibilis. Illa ergo poena, quam sustinuit Dei Filius in passione, erat à Deo, idest à Dei Filio, eam voluntariè assumente: nam nos de necessitate contrahimus poenas, quas patimur: sed Christus poenas, quas passus est, non de necessitate contraxit, sed pro nobis redimendis, eas voluntariè assumpsit. Et quia ipse erat verus Deus, & tamquam verus Deus, licet non secundum naturam diuinam, ita quod ibi, *tanquam*, reduplicet non naturam; sed suppositum, vt hoc modo dicitur, tanquam Deus passus, & tanquam Deus poenas illas voluntariè assumpsisse: oportet ergo hoc modo illas poenas fuisse à Deo, eas voluntariè assumente.

Christus poenas non de necessitate contraxit; sed voluntariè assumpsit.

Poenae Christi fuerunt à tota Trinitate illas acceptante.

Patrispassio ni Heretici.

Potest etiam dici, poenam illam, vel poenas illas, fuisse à Deo, non solum à Filio, sed à tota Trinitate, passionem illam acceptante; nam solus Filius fuit passus; sed tota Trinitas acceptabat passionem illam, & complacebat sibi in passione: nam cum dicimus, quod Deus fuit passus, ibi Deus, propriè loquendo, non stat pro natura diuina, sed pro supposito, vel pro persona diuina. Licet enim totius Trinitatis sit vna natura, tamen sunt in ea plura supposita, & plures personae: nam persona Filij distincta est à persona Patris, & Spiritus Sancti; ideo nec Pater, nec Spiritus Sanctus passus sunt, sed solus Filius. Propter quod quidam Hæretici vocati sunt Patrispassiani, quia dicebant Patrem esse passum. Solus ergo Filius illam passionem sustinebat; sed tota Trinitas illam passionem acceptabat. Poena ergo illius passionis fuit à Deo, scilicet à tota Trinitate illam acceptante.

Tertiò. Poena illa fuit à Deo, idest à tota Trinitate causante; nam Filius seipsum tradidit in mortem pro nobis; ideo dicebat de seipso: *Nemo animam meam accepit à me, sed ego pono animam meam pro ouibus meis.* Et in Isaia dicitur: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Filius ergo tradidit, idest dedit seipsum.

Aegid. super iij. Sent.

A in mortem pro omnibus nobis: & Pater dedit, & tradidit illum, iuxta illud ad Romanos. *Qui etiam Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Sic etiam potest dici de Spiritu Sancto, quod eum tradidit in mortem, quia indiuisa sunt opera Trinitatis, cum sit indiuisa substantia.

Rom. 8.

Notandum autem est propter argumenta, quod idem aliter, & aliter sumptum est à Deo, & non à Deo; nam illud idem essentialiter, quod est actio, est passio; & tamen, vt actio, potest dici displicens Deo, & vt passio placens; quia illud idem, cum Iudæi crucifigebant Christum, displicebat Deo, quia hoc faciebant mala intentione: sed quod Christus crucifigebatur, & patiebatur à Iudæis, vel à gentibus incitatis à Iudæis, Deo placebat: ibi enim actio displicuit, passio grata fuit; & sic vnum, & idem potest dici à Deo factum, & non factum; & iustum, & non iustum.

In crucifigitione Christi actio displicuit, passio Deo grata fuit.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, non esse inconueniens, cum idem essentialiter possit esse peccatum, & poena, quod vt peccatum non sit à Deo, & vt poena sit à Deo. Christus etiam non pro peccatis suis sustinuit poenas, sed pro nostris, & pro totius Mundi.

Peccatum & poena possunt esse idem essentialiter; sed vt peccatum non est à Deo, vt poena est à Deo.

Ad secundum dicendum, quod si ly iniuste referatur ad nos, omnes poenas habent aliquam iustitiam, quia à peccato originali deriuauerunt; si enim Adam non peccasset, nullam poenam, nullam afflictionem habuisset à principio interiori, quia ab alijs custodisset illum originalis iustitia, & nullam poenam, & nullam afflictionem habuisset à principio exteriori, quia ab his custodisset ipsum diuina prouidentia. Sed si ly iniuste referatur ad Christum, vtique respectu sui dicitur iniuste passus, quia cum poena debeatur peccatis, ipse nullum peccatum fecit; sed vt erat fideiussor, sic iuste suscepit pro nobis poenas; & vt sic poenae habent rationem boni.

Ly iniuste, si referatur ad nos, maior est falsa; si ad Christum sic est vera.

Ad tertium iam dictum est, quòd pœna Christi non fuit pro peccatis iuis, sed pro peccatis nostris.

Deus non vult pœnas perse, sed in ordine ad culpas.

Ad quartum dicendum, quòd Deus vult omnes homines saluos fieri, & nullam pœnam habere voluntate antecedenti, sed voluntate consequente vult in ordine ad culpam nos pœnas suscipere.

## A R T I C. II.

*Utrum possit esse pœna sine culpa.*  
*Conclusio est negatiua.*

Agid. 2. sent. d. 36. q. 2. ar. 2. D. Thom. 1. 2. q. 47. ar. 7. & 2. sent. d. 36. art. 4. & lib. 3. cont. gent. c. 14. D. Bonau. d. 36. q. 3. Capr. d. eadem q. 1.



SECUNDO quæritur, Utrum possit esse pœna sine culpa. Et videtur, quòd sic, vt patet de Christo, 1. C. Petri 2. *Qui peccatum non fecit, & tamen multas pœnas sustinuit: ergo &c.*

1. Petri 2.

Præterea. De Cœco nato respondit Christus. Luc. 6. *Nec ipse peccauit, neque parentes eius: ergo &c.*

Luc. 6.

Præterea. Iob. 6. dicitur: *Vtinam appenderentur peccata mea, &c.* ergo plus patiebatur de pœna, quam meruerint peccata sua, & sic datur aliqua pœna sine culpa.

Iob. c. 6.

Præterea. Iob. 17. scribitur: *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus: ergo &c.*

Iob. c. 17.

IN CONTRARIUM est August. lib. 1. Retract. cap. 8. *Omnis pœna iusta est, & pro aliquo peccato impenditur.*

D. P. Aug. lib. 1. Retract. c. 8. t. 1. l. b. 83. q. 1. tom. 4.

Præterea. Augustinus 83. quæst. dicit: *Deus nullam pœnam cuique finit immerito infligi; & postea ait: Meritum pœnae, peccatum est: ergo non est pœna nisi pro merito peccati.*

## R E S O L V T I O.

*Non datur pœna sine culpa propria, vel aliena, siue pœna sit voluntarie sumpta, siue ab alio infligta.*

RESPONDEO dicendum, quòd cum quæstio proposita quærit. Utrum possit esse pœna sine culpa, dici posse, quòd de pœna, & culpa possumus loqui, vel generaliter, vel specialiter; si enim comparamus pœnam ad culpam, non est pœna sine culpa; quia si nulla fuisset culpa, nulla fuisset pœna; si enim Angelus non peccasset, nec homo, nulla fuisset pœna; & si non potest esse pœna sine culpa, multò magis è conuersò, quia nullum malum impunitum, sicut nullum bonum irremuneratum. Christus enim cum fuisset passus, si homo non peccasset, quia tollere peccatores saluos facere, est tollere causam aduentus eius. Sic ergo loquendum est de culpa, & pœna generaliter. Sed si de ijs volumus loqui specialiter; possumus primò distinguere de pœna; quia aliqua est æterna, aliqua temporalis, aliqua est statim infligta, aliqua est ad tempus dilata. Si loquamur de pœna æterna, nunquam talis pœna est sine culpa etiam propria; nam paruuli Sodomorum, qui fuerunt puniti pœna, & morte temporali pro culpa parentum; tamen pœna æterna, quæ est pœna damni, quæ debetur originali peccato, incurrent propter culpam originalem propriam, in qua nati sunt, quia licet peccatum originale sit infectio naturæ, tamen ex infectione illa oritur infectio personæ, quia ipsa persona paruuli dicitur infecta ex infectione naturæ: propter quod ex tali infectione dicitur culpa esse propria ipsius paruuli; sic etiam si loquamur de pœna non statim infligta, sed ad tempus dilata, sic non est inconueniens culpam aliquam non statim infligi per pœnam, quam meretur, sed ad tempus illam pœnam differri ex benignitate Dei.

Si Angelus, & homo nõ peccasset, nulla fuisset pœna.

Causa aduentus Christi cum carne passibili.

Paruuli Sodomorum, quare fuerunt puniti.

Pœna æterna non est sine culpa propria.

Hoc ergo modo loqui possumus de pœna æterna, & de pœna temporali specialiter sumpta quocūque modo. Dicemus enim, quòd talis pœna potest tripliciter distinguì; quia vel est voluntarie sumpta, vel

Pœna tripliciter sumitur, & distinguitur.

vel est ab alio inflicta, vel est peccato annexa, & ipsum concomitans: si autem sit voluntariè sumpta, vel hoc est pro omnibus peccatis, & pro omnibus peccatoribus generaliter, sicut fuit poena Christi, quæ fuit voluntariè assumpta: iuxta illud Isaia 53. *Oblatus est, quia ipse voluit: & fuit pro omnibus generaliter assumpta: quia Deus Pater proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ista ergo poena Christi voluntariè assumpta fuit pro culpa, & pro peccato, non suo, sed nostro, iuxta illud: *Verè dolores nostros ipse tulit, & languores nostros ipse portauit.* Sic ergo loquendum est de poena voluntariè assumpta pro omnibus peccatoribus, & pro omnibus peccatis. Vel potest esse poena voluntariè sumpta, pro hoc peccato, vel pro illo, & potest sic aliquis purus homo, etiam voluntariè penitere, quia hoc est poenitens, quasi poenam tenens, & voluntariè dolere, & voluntariè ieiunare, & vigilare, & in orationibus laborare pro peccatis suis, & pro peccatis amicorum, vel inimicorum tuorum; quia debemus *orare pro calumniantibus, & opprimentibus nos.* Talis ergo poena voluntariè sumpta potest esse pro culpa propria, & etiam aliena: nam ad orationem Stephani dicitur saluatus Paulus.

Secundò possumus loqui de poena ab alio inflicta, quæ potest esse sex modis, vel pro culpa punianda, vel pro culpa cauenda, vel pro virtute sectanda, vel pro gratia multiplicanda, vel pro gloria Dei manifestanda, vel pro damnatione malorum hic temporaliter inchoanda, & post hanc vitam æternaliter continuanda.

Primo modo. Poena ab alio inflicta potest esse pro culpa punianda, vt post hanc vitam non puniatur, & ad hoc possumus adaptare illud, quod habetur de Maria, quando loquuta est contra Moysen, quòd poena est sibi inflicta à Deo, & apparuit leprosa; possumus enim dicere, hoc fuisse pro culpa sua punianda, vt in hac vita puniretur, non in alia.

Secundò. Hoc potest esse etiam pro culpa cauenda, & ad hoc possumus adaptare egestatem, & famem inflictas filio prodigo, qui fame compulsus ad Patrem reuersus est, quod factum est, vt culpæ

A poenitendo doleret, & cautus effectus a culpa in posterum caueret.

Tertio potest hoc fieri ad virtutem, præseruandam, quod possumus adaptare ad Apostolum Paulum, de quo habetur 2. ad Corint. *Ne magnitudo reuelationum extolleret eum, datus est sibi stimulus carnis, &c.* Et rogans Deum non est exauditus, sed accepit diuinum responsum, quod sufficiebat sibi gratia sua: nam *virtus in infirmitate perficitur*, propter quod ipse de seipso ibidem ait: *Libenter ergo gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Et hoc etiam possumus adaptare ad culpam vincendam; quia per virtutem vincitur culpa, & vitium.

Quartò, potest hoc contingere, pro tentatione vincenda, & gratia multiplicanda, & hoc possumus adaptare ad Iob, vel ad Thobiam, nam Iob tot sustinuit, vt multiplicaretur in eo gratia: nam benedixit Iob magis nouissimis, quàm principio eius; vt habetur capite vlt. & Iob sic tentatus meruit audire à Deo, *illi amici tui, cum quibus afflictus disputabas non sunt loquuti rectum*, vt ait Dominus, *sicut seruus meus Iob.* Sic etiam de Thobia dicere possumus, qui audiuit ab Angelo: *Quia acceptus eras Deo necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Hoc etiam possumus adaptare non solum ad culpam vincendam, sed cum quadam claritate, & excellentia superanda.

Quintò, potest contingere ad gloriam Dei manifestandam, sicut dicitur Io. 9. de cæco nato. Sed hoc etiam ad culpam tollendam adaptare, quia miracula, quæ fecit Christus, facta fuerunt pro humana generatione redimenda, & pro culpa incredulitatis nostræ tollenda, dicente Domino; *Si mihi non creditis, operibus credite.*

Sextò. Potest hoc contingere pro dānatione malorū hic temporaliter inchoanda, & post mortem æternaliter continuanda; quod possumus adaptare ad Pharaonem, qui prius tot poenis temporalibus oppressus, & postea per aquas maris virga Moysi percussus, suffocatus æternaliter est damnatus.

Habito quo modo loqui possumus de poena voluntariè sumpta, & de ea ab alio inflicta, ij duo modi poenæ ad culpam debent

Na. 33.

Poenitens dicitur quia si poenam tenens.

Quot modis alicui possit poena infligi.

Num. 12.

2. Cor. 12.

Virtute vincitur culpa

Iob. c. vlt.

Io. c.

bent referri, vel propriam, vel alienam; quia non fuisset nec primo modo, nec secundo poena, si nulla fuisset culpa, nec aliena, nec propria: de leui patere potest, quomodo loquendū sit de poena, quæ est peccato annexa, vel ipsum concomitans; est enim poena peccato annexa; quia *omnis inordinatus animus*, secundum Augustinum, *sibi ipsi poena existit*; est enim poena peccatum concomitas, quia peccatum sequens, ad quod trahit peccatum præcedens, potest dici poena præcedentis: ergo quod sic peccato annexa, & sic concomitans, sit pro peccato, & culpa, nulli dubium esse potest.

*Pœna peccato annexa.*

## RESP. AD ARGVM.

*Pœna Christi, et si fuit sine culpa propria, nõ fuit tamen sine culpa aliena.*

Ad argumentum primum dicendum, quod hoc fuit singulare in Christo, ut in eo fuerit poena sine culpa aliqua propria; tamen non fuit illa poena propter nullam culpam; immò fuit propter plures culpas, quàm alia quæcunque poena, quia fuit propter omnes culpas omnium hominum.

*Pœna cæco nato infirma caruit culpa specialis, sed nõ caruit culpa originali.*

Ad secundum, quod poena illius cæci nati non fuit sine culpa originali, quia in originali natus erat, quod ergo Christus ait: *Nec peccauit ipse, neque parentes eius*, intelligendum est specialiter: debemus enim credere diuina prouidentia sic esse ordinatum, ut ille nasceretur cæcus, & per illuminationem susceptam à Christo, manifestaretur in eo gloria Dei; tamen si nulla fuisset culpa in eo, nulla fuisset poena.

Ad alia patent responsiones in his, quæ dicta sunt.

## DISTINCTIONIS XV.

## Pars Secunda Principalis.



**V**PER secunda parte principali præsentis distinctionis quæremus vnum, tantum, videlicet, An Angelus confortans Christum, fuerit Angelus custos ipsius Christi.

## DISTINCTIONIS XV.

## Secundæ Partis Principalis

## QVÆSTIO VNICA.

Quæ habet vnum Articulum tantum.

*Utrum Angelus, qui confortauit Christum in Passione, fuerit eius Angelus custos. Conclusio est negatiua.*

Aegid. 2. sent. d. 11. q. 1. ar. 2. D. Thom. p. 1. q. 113. ar. 2. & 4. & 2. sent. d. 11. p. 1. ar. 3. Alb. Mag. de Virtutibus q. 8. ar. 8. Biel d. 11. q. 1. Ricch. ibid. q. 1. Tho. Arg. d. 10. q. 1. ar. 3. Dur. d. 11. q. 1.



**D** hunc Articulum sic proceditur. Videtur, quod Angelus, qui confortauit Christum in passione, fuerit eius Angelus custos, quia Diony-

fius 4 de Ang. Hierarch. videtur velle, quod ipse Christus subdebatur paternis dispositionibus, mediantibus Angelis: ergo &c.

Præterea. Officium Angeli Custodis est confortare custoditum in aduersis; sed Christus fuit confortatus ab Angelo in passione, ut patet Lucæ 22. ergo.

Præterea. Minor à maiori custoditur: sed Christus fuit minoratus ab Angelis, ut dicitur in Psal. 8. ergo &c.

Luc. 22.

Psal. 8.

**IN CONTRARIUM** est, quia Angelo Custode indigent puri viatores tantum, Christus autem fuit viator, & comprehensor simul: ergo &c.

## RESOLVTIO.

*Christus non indiguit Angelo Custode, quia fuit viator, & comprehensor simul, & Angelus, qui apparuit ei in passione, non erat Custos, sed à Deo fuit missus, ad famulandum, & obsequendum.*

RE-

Cur Chri-  
stus non ha-  
buit Ange-  
lum Custo-  
dem.

Christus ha-  
buit Ange-  
los non ad  
custodiam,  
sed ad ob-  
sequium, &  
famulatum.

Anima Chri-  
sti plura vi-  
debat in  
Verbo, quā  
aliquis An-  
gelus.

Angelus  
fuit missus  
ad Christi,  
non ut eum  
introueret,  
sed ut ei ob-  
sequeretur.

Fuit singu-  
lare in Chri-  
sto, quod  
quolibet po-  
tentia per-  
mittebatur  
agere, quod  
suam erat.

RESPONDEO dicendum, quod  
Christus non habuit Angelum Custodem,  
quia anima sua erat superior omnibus  
Angelis, erat perfectè fruens ab instanti  
sua Conceptionis; & quia Angelo Custo-  
de non indigent nisi puri viatores, Chri-  
stus autem, qui fuit simul viator, & com-  
prehensor, non indigebat tali custodia,  
quantum ad seipsum. Habebat tamen  
non solum Angelum, sed multitudinem  
Angelorum, non ad custodiam, sed ad  
obsequentem, & ad famulatum: & si in-  
ueniatur, quod Christus erat sub custo-  
dia Angelorum, hoc non est intelligen-  
dum, quantum ad seipsum, sed quantum  
ad personas sibi famulantes, & sibi con-  
iunctas. Nam Ioseph fuit instructus ab  
Angelo, ut tolleret puerum, & Matrem,  
& fugeret in Aegyptum. Anima autem  
Christi non indigebat tali instructione,  
quia plura videbat in Verbo, quam ali-  
quis Angelus.

RESP. AD ARGVMENTA.

Ad argumentum primum dicendum,  
quod verba Dionysij, vel cuiuscunque  
alterius, possunt referri ad personas Chri-  
sto coniunctas, non ad ipsum Christum.

Ad secundum dicendum, quod ille  
Angelus, qui apparuit Christo, conforta-  
bat eum sibi famulando, & obsequendo;  
non autem eum instruendo, quia verè ti-  
muit, verè tristabatur, verè in passione do-  
luit ex diuisione continui, & ex infixio-  
ne clauorum in manibus, & pedibus, quia  
spiritus, idest ratio superior erat prom-  
pta, caro, idest sensualitas erat infirma.  
Fuit enim hoc singulare in Christo, quod  
quaelibet potentia permittebatur agere,  
quod suum erat. Nam ratio superior in  
Christo summè fruebatur, & caro eius do-  
lebat in Cruce posita, & affligebatur, &  
sensualitas eius timebat, & tristaba-  
tur.

Ad tertium dicendum, quod fuit  
minoratus ab Angelis, quia  
habuit corpus passibile,  
quod non ha-  
bent Ange-  
li.

A DISTINCTIO XVI.



*I* Coritur que-  
stio, &c. Sequi-  
tur Magister in  
hac distinctio-  
ne 16. agere  
de Christi de-  
fectibus; & quia  
pati, & mori  
sunt defectus

generales, ideo de illis tractat. Diuiditur  
in duas partes principales, in quarum pri-  
ma quaerit, An in Christo fuerit necessi-  
tas patendi, & moriendi; in secunda de  
statibus hominum, & quid de singulis  
Christus accepit. prima diuiditur in duas  
partes: in prima mouet quaestionem:  
Vtrum in Christo fuerit necessitas patien-  
di, & moriendi; in secunda respondet  
quaesito. prima ibi: *Vtrum necessitas, &c.*  
Secunda ibi: *Ad quod dici potest, &c.* Se-  
cunda pars diuiditur in duas partes, in  
quarum prima dicit quatuor esse homi-  
num status; in secunda docet Christum  
de omni statu aliquid accepisse. prima  
ibi: *Est autem hic notandum, &c.* Secun-  
da ibi: *De primo statu accepit, &c.* & sic  
terminatur sententia praesentis distin-  
ctionis.

Cum superius dictum sit, Christum de  
quolibet statu aliquid accepisse, quod  
spectat ad secundam partem praesentis di-  
stinctionis, restat videre aliqua super pri-  
mam partem eiusdem distinctionis, &  
quaeremus vnum tantum, quod spectat ad  
eius mortem.

DISTINCTIONIS XVI.

Et Partis Primae Principalis.

QVAE STIO VNICA.

*De passione, & morte Christi.*



*Q*UA in principali par-  
te huius distinctionis agi-  
tur de passione, & mor-  
te Christi; ideo videbi-  
mus hoc vnum, videli-  
cet, Vtrum Christus pos-  
set non mori naturaliter.

ARTICVLVS I.  
ET VNICVS.

*Vtrum Christus posset non mori naturaliter. Conclusio est negativa.*

Aegid. quodl. 2. q. 16. & super Epist. D. Pauli ad Rom. cap. 8. lect. 24. dub. 2.



**A**D hunc Articulum sic proceditur. Videtur, quod Christus posset non mori naturaliter; quia si necesse est hominem corrumpi, hoc est, quia calor naturalis consumit humidum, sed hoc est impossibile, quia agens, & patiens debent esse distincta loco, & subiecto; sed calor non est distinctus loco, & subiecto ab humido, immo tanquam in subiecto fundatur in humido: ergo, &c.

Præterea. Accidens non agit in proprium subiectum, sed humidum est subiectum caloris: ergo &c.

Præterea. Hoc est discrimen inter nos, & Christum, quod nos passibilitatem, & mortalitatem de necessitate contrahimus, Christus verò voluntariè assumpsit; ergo si voluisset, potuisset non mori.

**I**N CONTRARIUM est Philosophus de longit. & breuit. vitæ: vult enim ibi, quod animalia translata de loco ad locum possunt esse durabiliora, sed non perpetua: vbi manifestè innuit, quod vita animalis, & per consequens cuiuslibet hominis, licet possit prolongari; non tamen potest perpetuari.

R E S O L V T I O.

*Christus non poterat non mori naturaliter, quia continuò in eius corpore, sicut in aliorum hominum corporibus erat consumptio humidi radicalis per actionem innati caloris; & quod restauratur est semper impurius eo, quod consumitur, ideo deueniendum est ad carnem adeò impuram, ut non possit facere opus carnis, & sic necesse est hominem corrumpi.*

**A** RESPONDEO dicendum, quod in Christo, & quolibet homine, & animali (in vita enim naturali sensitiua conueniunt) est consumptio, & restauratio; per acceptionem nutrimenti restauratio; & per actionem calidi consumptio: si enim non esset ibi consumptio, posset corrumpi animal ab agente exteriori, sed à pugna, quam haberet in seipso, ut videtur, non esset necesse ipsum corrumpi. Rursus si posset tale restaurari, quale est illud, quod deperditur, posset semper perpetuari vita animalis; sed ijs duobus concurrentibus, quia est ibi continua deperditio, & illud, quod restauratur per alimentum, non est ita purum, ut est id, quod deperditur, ideo necesse est animal corrumpi. Nam si quis acciperet de vino, quod esset in dolio, & restauraretur ibi de aqua, ad vltimum oporteret, ut vinum esset ita aquosum, quod esset ibi corruptio vini; sed si restauraretur ibi ita purum vinum, sicut illud, quod inde extrahitur, posset semper perpetuari illud dolium vini. Sic, quia, quod deperditur in animali est magis purum, quàm illud, quod restauratur, ad vltimum est caro ita impura, ut non possit facere carnis opus, ideo necesse est animal corrumpi.

**D**uo ergo volumus declarare: primum est, quod est ibi continua consumptio per actionem calidi: secundum est, quod id, quod deperditur, est magis purum, quàm id, quod restauratur.

Propter primum sciendum, quod actionem calidi in humidum dupliciter possumus intelligere; vno modo per se, alio modo per accidens; ut est huiusmodi actio per se, est distincta subiecto, ut est per accidens, non est distincta. Inconueniens est enim in rebus corporalibus idem per se agere in seipsum; non est autem inconueniens idem agere in seipsum per accidens; per se enim potest esse talis actio, & potest esse distincta subiecto, quia in ipso humido sunt aliquæ partes magis raræ, & magis passibiles; aliquæ autem magis densæ, & minus passibiles. Hoc ergo modo potest ibi esse actio per se, quia partes minus passibiles agunt in partes magis passibiles; & isto modo est ibi consumptio, & deperditio: dato tamen,

*Si posset restaurari id, quod deperditur, posset perpetuari vita animalis.*

*Exemplum valde appositum veritati.*

*Actio calidi in humidum dupliciter intelligitur.*

*Quomodo idem possit agere in seipsum per se.*



men, quòd omnes partes essent similes, adhuc per accidens calidum ageret in proprium subiectum, vt in humidum, & deriuaret ipsum, quod faciendo destrueretur vita animalis, quod videre non est difficile: nam qui videt, quomodo aqua calefacta seipsam infrigidet, & quomodo graue seipsam deorsum moueat, videre potest quomodo calidum seipsam deficcet: posito enim, quòd aqua calefacta, nec ab aëre exteriori, nec ab aliquo alio agente infrigidaretur, seipsa naturaliter rediret frigida, & ipsa seipsam per accidens infrigidaret. Imaginamur enim, quòd *materia subiecta cum forma*, secundum Philosophum in 1. Physic. *est causa omnium accidentium, quæ fiunt in ea*: eo enim ipso, quod in aqua est talis forma, oportet, vt ab aqua fluant accidentia competentia suæ formæ, quantumcunque aqua sit calefacta; ex quo in aqua remanet forma aquæ, oportet, vt ab huiusmodi forma superfluat frigiditas, quæ est qualitas competens illi formæ; aqua enim calefacta per se infrigidatur à generante, sicut graue per se mouetur à generante: eo enim ipso, quòd grauitas dedit talem formam ipsi graui, ad quam formam sequitur tale accidens, quod est moueri deorsum, dicitur graue moueri à generante; graue enim antequam esset grauatum, erat in potentia essentiali ad hoc, vt moueretur deorsum; sed postquam iam est factum actu graue, quantum est de se, semper est deorsum; & si non est semper deorsum, hoc est, quia est aliquid prohibens: in potentia ergo accidentali est graue, vt sit deorsum, nec indiget aliquo transmutante ad hoc, quod moueatur deorsum; sed mouet seipsam deorsum per accidens; per se autem mouetur a generante; quòd dedit sibi talem formam, ad quam sequitur talis motus; sed sicut motus deorsum est aliquid consequens formam grauis; ideo dicitur graue ab eo moueri deorsum per se, a quo habuit formam grauis: sic frigiditas est aliquid consequens formam aquæ: aqua ergo ab eo mouetur ad frigiditatem per se, a quo habuit formam aquæ; seipsa autem mouetur ad frigiditatem per accidens. Hoc ergo modo aqua facit seipsam frigidam, quia à natura aquæ semper

fluit frigiditas, quæ fluens expellit caliditatem in aquam inductam: & sicut a forma aquæ naturaliter fluit frigiditas; sic à calido, in quo consistit vita, habet fluere siccitas: sicut enim materia sub forma calidi, non est propriè materia formæ aquæ, sed materia sub forma frigidi, ideo ab aqua naturaliter fluit frigiditas: sic quia calidi est magis propria materia siccum, quàm humidum, naturaliter à calido fluit siccitas.

A calido in quo consistit vita semper fluit siccitas.

Hoc ergo modo calor naturalis corrumpit seipsam per accidens, quia ab eo fluit siccitas, propter quod facit suum subiectum siccum, quod faciendo non potest durare ulterius vita: desinente autem vita desinit ibi esse naturalis calor: vnde autem habeat calor naturalis, quod ab eo naturaliter fluat siccitas, vtrum hoc habeat, quia participat cum calore ignis, vel vnde ei contingat, non est presentis speculationis declarare.

Quomodo calor naturalis corrumpit seipsam.

Viso quomodo in animali est continua deperditio, & quomodo est ibi continua desiccatio, restat ostendere, quomodo id, quod restauratur per alimentum, non sit ita purum; sicut id, quod deperditur. Propter quod sciendum, quod naturalia sibi determinant proprium locum generationis; vt vinum determinat sibi ventrem vitis, extra vitem non generatur vinum purum; ex aqua enim posset generari vinum purum, & non purum; purum quidem si proijciatur ad pedem vitis, tunc illa aqua, attracta à vite, & digesta in ventre vitis, posset conuerti in purum vinum: sed si ex aqua generaretur vinum non purum, tunc esset, postquam esset expressum vinum à vite, in huiusmodi vinum apponeretur aqua: constat autem, quod tantum posset apponi de aqua, vt ad vltimum corrumpere vinum: & si fortè esset vinum, & apponeretur aqua, tunc vinum propter fortitudinem suam conuerteret aquam ad se, sed non esset vinum purum, & si adhuc apponeretur, adhuc posset eam conuertere ad se, sed esset minus purum, & ad vltimum tantum posset fieri impurum, quòd non remaneret ibi forma vini.

Locus generationis vini.

Ex aqua dupliciter potest generari vinum.

Sic & in proposito, pura caro humana generatur in loco matricis, extra matricem autem per alimentum non generatur

Materia est causa omnium accidentium, quæ fiunt in ea. Arist. 1. phys. sic. t. c. 63.

Graue mouetur deorsum per accidens; per se verò mouetur à generante, quod dedit illi formam grauis.

Cur homo  
non possit  
in vita na-  
turam  
perpetuari.

tur caro pura : in animali ergo per actionem calidi deperditur humidum, & purum, & restauratur minus purum : ad ultimum autem est ibi tanta impuritas, vt non possit carnis facere opus, propter quod necesse est corrumpi animal.

RESP. AD ARGUMENTA.

Argumenta autem, primum, & secundum, soluta sunt per iam dicta ; quia actio calidi per se est distincta à subiecto ; sed per accidens non est distincta à subiecto.

Ad tertium dicendum, quòd Christus voluntariè assumpsit carnem passibilem, & mortalem, qua assumpta, de necessitate mori debebat.

DISTINCTIO XVII.



OST prædicta considerare oportet, &c. Quia Magister in superiori distinctione tractauit de Christi passione, & morte, in quibus de

multis fit mentio, puta de oratione Christi, & de verbis, quæ dixit, in quibus videtur insinuari, quòd in Christo sint plures voluntates ; ideo hoc inquit in præfenti distinctione, quæ diuiditur in duas partes. In prima quærit, an omnis Christi oratio, & voluntas fuerit impleta. In secunda quot sint in Christo voluntates. Prima ibi : *Vtrum Christus, &c.* Secunda diuiditur in duas partes, in prima mouet dubitationem de triplici voluntate in Christo ; in secunda plures adducit authoritates id probantes. Prima ibi : *Quo circa ambigendum non est, &c.* Secunda ibi : *Ex affectu ergo humano, &c.* postremò affert quædam loca Sanctorum, in contrarium, & soluit, & sic terminatur sententia præfentis distinctionis.

DISTINCTIONIS XVII.

Partis Primæ Principalis

QVÆSTIO VNICA.

*De voluntate Christi.*



VPER distinctione 17. in qua ostedit Magister in Christo duas fuisse voluntates, iuxta duas naturas, scilicet diuinam voluntatem, & humanam. Quærimus. Vtrum Christus per voluntatem humanam posset simul in plura ferri ; propter actiones Christi, quæ videbantur contrariæ, & tamen eodem tempore fiebant.

ARTICVLVS I.

ET VNICVS.

*Vtrum Christi voluntas humana possit simul in plura ferri. Conclusio est negatiua.*

Aegid. quodl. 5. q. 2 r.



D hunc Articulum sic proceditur. Videtur, quòd Christi voluntas humana posset simul in plura ferri : quia Christus summè fruebatur, & summè patiebatur in passione ; erat enim simul viator, & comprehensor ; sed hoc non posset esse, nisi potentia appetitiua posset simul in plura ferri : ergo, &c.

Præterea. Voluntas Dæmonum potest in plura ferri, ergo & voluntas Christi : probatur antecedens : quia Dæmones gaudent de possessione hominum, vt ait Augst.

August. 11. de Ciuit. Dei cap. 6. & sunt in magno cruciatu : ergo &c.

Præterea, simul in patria erit aureola, & gaudium de bono increato, & aureola, & gaudium de aliquo bono creato, arduo, & priuilegiato; cuiusmodi est subire martyrium, quod pertinet ad irascibilem, vel seruare Virginitatem, quod pertinet ad concupiscibilem, vel docere Scripturam sacram, quod pertinet ad rationalem, quæ opera in charitate facta sunt ardua, & priuilegiata, & merentur aureolam, quare in simul est vtrumque gaudium, simul fertur voluntas in plura.

**IN CONTRARIUM** est, quia secundum Auic. in 6. de naturalibus etiam plures potentia non possunt simul in plura ferri: nam quando aliqua potentia multum est intenta ad actum suum, alia potentia retrahitur à suo actu; vt cum multum intentus est quis ad videndum aliquod mirabile, ab audiendo retrahitur; vt non percipiat quid sibi dicatur. Arguatur ergo sic. Plures potentia non possunt simul in plura ferri, ergo multo magis, nec voluntas, quæ est vna, & eadem potentia.

**R E S O L V T I O.**

*Voluntas humana non potest simul ferri in plura, secundum cursum naturæ se impediencia, vel perfectè; sed in plura non se impediencia, & imperfectè simul ferri potest: At voluntas Christi potuit simul pati, & gaudere, quia ei fuit specialiter concessum ex diuina dispensatione.*

**RESPONDEO** dicendum, quòd cum quæritur. Vtrum voluntas possit in plura ferri simul, opus est vti triplici distinctione. Nam plura vel sic se habent, vt vnum sit alterius impeditium, vel vnum non sit impeditium alterius, sed ratio, & inductiuum eius, vt quia lux est ratio, quare videatur color, simul fertur oculus in lucem, & in colorem; & quia principia sunt ratio cognoscendi conclusiones: vnde Philosophus circa

Aegid. super iij. Sent,

**A** principium 1. Post. loquens de minoris propositionis cognitione, ait, quòd simul inducens cognoscit; simul enim inducitur minor propositio in maiorem, & elicitor conclusio ex vtrisque: vt si scio omnem mulam esse sterilem, simul induco hoc particulare, hoc animal est mula, & elicio conclusionem, quòd sit sterilis: minor ergo propositio, quia est ratio cognoscendi conclusionem, vt inducitur in maiorem, simul sit inductio minoris, & cognitio conclusionis. Non enim negamus, quòd principia, vt sunt quoddam obiectum intelligibile, possunt intelligi ab intellectu absque cognitione conclusionum, tamen cogimur concedere, quòd vt sunt ratio cognoscendi conclusiones, simul possunt cognosci principia, & conclusiones: sic etiam simul fertur voluntas in finem, & in id, quod est ad finem, prout finis est ratio volendi, quod est ad finem.

**B** Principia vt sunt ratio cognoscendi possunt cognosci simul cum conclusionibus.

**C** Secunda distinctio est, dato, quòd illa plura sic se habeant, vt vnum non sit ratio alterius, nec inductiuum eius, sed magis sit impeditiuum eius; distinguendum est de modo fieri; quia, vel hoc sit secundum naturæ cursum, vel secundum specialem Dei dispensationem; si enim fiat secundum specialem Dei dispensationem, non est inconueniens idem aliquo modo in plura ferri; quia per Dei potentiam fieri potest, vt illud, quod secundum naturæ cursum est alterius impeditiuum, secundum specialem Dei dispensationem fiat alterius non impeditiuum.

**D** Tertia distinctio est, quia dato, quòd illa plura sic se habeant, vt vnum sit alterius impeditiuum, & vt modus sciendi sit secundum naturæ cursum: adhuc est tertio distinguendum; quia vel illa plura, vel aliquod illorum habet esse perfectum, & integrum, vel nullum illorum est tale, sed quodlibet est aliquo modo imperfectum: sic enim videmus in rebus naturalibus, illud esse magis album, quod est minus nigro impermixtum: illud ergo est albissimum, quod nullam habet permixtionem nigri: illud nigrissimum, quod nullam habet permixtionem albi: illud verò medio modo, quod participat

Inductio minoris propositionis in maiore facit, vt simul cognoscatur conclusio.

Principia vt sunt ratio cognoscendi possunt cognosci simul cum conclusionibus.

Quod est tale secundum naturam per Dei potentiam potest etiam esse tale.

de vtraque . Si ergo quærat<sup>r</sup> . Vtrum aliquid possit simul esse album , & nigrum , dicitur , quòd perfectè non : quia perfectè album non compatitur secum , permixtionem nigri , nec è conuersò : Imperfectè autem potest , quia imperfectè album aliquam secum compatitur permixtionem nigri , & è conuersò .

potest quis imperfectè tritari de vno , & imperfectè gaudere de alio ; non autem perfecte .

Sic & potentia , quantumcunque aliqua plura se inuicem impediunt , potest in illa ferri imperfectè ; sicut aliquis potest imperfectè gaudere de vno , & imperfectè tritari de alio : licèt enim gaudium de se sit aptum natum amouere tristitiam , non tamen oportet , vt imperfectum gaudium amoueat omnem tristitiam .

Prima ergo distinctio sumitur diuersitate obiectorum , prout obiecta diuersitatem inter se possunt habere , vt prout vnum aliud impedit , vel non impedit .

Secunda innitur diuersitati modi agendi , prout fit aliud secundum naturam cursum ; vel secundum Dei specialem dispensationem .

Tertia autem innitur diuersitati actuum , prout actus est perfectus , non habens admixtionem contrarij ; vel imperfectus habens aliquam admixtionem eius .

Resolutio questionis .

Secundum autem has tres distinctiones , possunt solui tria præfata argumenta . Est enim veritas questionis , quòd in plura se impediunt secundum naturam cursum , & perfectè non simul voluntas ferri potest : sed in plura se non impediunt , non quidem secundum naturam cursum , se u non perfectè , potest simul voluntas ferri .

### RESP. AD ARGUMENTA .

Quod ergo primo arguebatur de Christo , soluitur per distinctionem secundam ; quia hoc non habebat secundum naturam cursum , sed secundum Dei dispensationem ; nam ex dispensatione Dei fiebat , vt quælibet natura in Christo sua propria ageret . Vnde Damasc lib. 3. cap. 19. dicit : *Naturales nostra anima passiones secundum naturam , & supra naturam , fuerunt in Christo* . Secundum enim na-

D. Damasc. lib. 3. c. 19.

turam mouebantur apud ipsum , quando permittebat , & concedebat carnem pati , quæ propria erant : patiebatur ergo caro , quæ propria erant , vt gaudium fruitionis , ex Dei dispensatione , dolorem illum minimè impediret : voluntas ergo , quæ fruebatur Deo , acceptabat dolorem illum propter Deum ; secundum enim naturam cursum , tantus dolor non stetit cum tanto gaudio .

Gaudium fruitionis non impediabat in Christo dolorem passionis ex diuina dispensatione .

Ad secundum dicendum de Dæmonibus , iuxta tertiam distinctionem , quòd habent aliquod gaudium , hoc est , quia non est omnino consummata tota eorum poena , ita vt ipsi dicerent Christo Matth. 8. *Venisti ante tempus torquere nos* . Fortè enim post diem iudicij ; sic erit consummata eorum poena , quòd non compatiatur secum aliquod gaudium ; sed quæ sit veritas huius , Vtrum nunc possint Dæmones de aliquo gaudere ; & Vtrum post diem iudicij collatur ab eis omne gaudium , non est præsentis speculationis ; sufficit autem ad præsens scire , quòd secundum naturam cursum ex imperfectione rei est ; vt compatiatur secum aliquid de opposito , sicut de imperfectione albi est , vt compatiatur secum aliquid de imperfectione nigri . Propter quod si aliqua creatura rationalis simul tristatur , & gaudet , vel hoc est ex speciali Dei dispensatione , quòd ista se non impediunt ; vel ex imperfectione virtutum , vt quia non perfectè participat hoc , vel illud .

Dæmonum poena adhuc non est omnino consummata .

Matth. c. 8.

Dæmonum poena consummabitur post diem iudicij .

Tertium de aurea , & aureola soluitur per distinctionem primam ; nam gaudium de bono increato , erit ratio , vt Beati gaudeant de bono aliquo creato ; Nam sicut Beati alia diligunt propter Deum , omne gaudium , quod habebunt de bonis creatis , erit ordinatum ad gaudium , quod habebunt de Deo ; vnum ergo non impedit aliud , sed ordinatur ad aliud : illa ergo duo gaudia se non impediunt , quia vnum erit ratio , vt fiat aliud , vel saltim vnum ordinabitur ad aliud ; & hoc sufficit ad hoc , vt se inuicem non impediunt .

Gaudium Beatorum de rebus creatis ordinatur ad gaudium de Deo ; & vnum erit ratio alterius .

Argumentum etiam in contrarium eadem via procedebat ; nam quia plures potentia sunt radicatae in eadem essentia animæ ,

animæ, ideo se inuicem impediunt; sicut si duæ rotæ essent fixæ in aliquo stipite, si vna moueretur ad partem vnã, non posset alia moueri ad partem aliam. Sic cum aliqua potentia fortiter fertur in aliquod obiectum, retrahitur potentia alia; ne fortè feratur in aliquod obiectum aliud: vnde & prouerbialiter dicitur: *Pluribus intentus, minor est ad singula sensus*; licet autem non sit omninò simile de duabus rotis fixis in eodem stipite, & de duabus potentijs radicatis in eadem essentia animæ; quia etiam si debiliter moueretur rota aliqua ad partem vnã, non posset moueri rota alia ad partem aliam; quod non contingit in potentijs animæ: tamen quantum ad motum fortè est aliquo modo simile hic, & ibi: quia si potentia aliqua moueretur fortiter in obiectum aliquod, impediretur potentia alia, ne feratur fortiter in obiectum aliud, & maximè quando obiecta sunt diuersa, non ad inuicem ordinata,

Prouerbiũ. Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Vnam potẽtiã impedire posse aliã dupliciter, primo simpliciter ita vt nullo modo moueatur; vel ne ita fortiter moueatur: argumẽtũ concludit secũdo modo, non primo.

DISTINCTIO XVIII. C



**D**E merito etiam Christi prætermittendum non est, &c. Postquam Magister in proximè præcedentibus distinctionibus de Christi passione, & morte differuit, & de eiusdem prompta patiendi, & moriendi voluntate; hic consequenter de Christi meritis, ex passione, morte, & prompta eius voluntate prouenientibus, tractare intendit; & diuiditur præsens distinctio in duas partes, in quarum prima ostendit, quòd Christus aliquid meruit sibi, & aliquid nobis: in secunda, quòd mereri incœpit à principio suæ Incarnationis. prima incipit ibi: *Meruit quidem, &c.* Secunda diuiditur adhuc in duas partes, in prima adducit quædam verba D. Pauli de merito Christi, quòd sua humilitate, obedientia, & passione promeruerit. In secunda querit, an sine dictis meritis potuerit illud

Aegid. super iij. Sent.

**A** bonum habere, quod ex meritis obtinuit. Prima ibi: *Nec tantum gloriam impassibilitatis, &c.* Secunda adhuc diuiditur in duas partes: in prima inquit, quod dictum est. in secunda respondet, quòd sine passionis merito potuit illud habere. prima ibi: *Si verò queratur, &c.* Secunda adhuc subdividitur in duas partes, in prima facit, quod dictum est, in secunda scilicetatur causas passionis, & mortis Christi. Prima ibi: *Sanè dici potest, &c.* Secunda ibi: *Ad quid ergo voluit pati, & mori, &c.* & sic finitur sententia præsentis distinctionis.

**B**

Circa hanc distinctionem duo quæremus.

Primum spectans ad gratiam, quam nobis promeruit.

Secundum spectans ad excellentiam eorum, quæ Christus promeruit supra ea, quæ in statu innocentie habuissimus, si ille status permansisset.

DISTINCTIO XVIII.

Partis Primæ Principalis

QVAESTIO PRIMA.

De meritis Christi.



**D**

**N** prima parte huius distinctionis, in qua de meritis Christi tractatur, vnum tantum inquiremus, circa ea, quæ nobis Christus promeruit, an videlicet, omnibus promeruerit gratiam, vel solum aliquibus.



## ARTIC. I.

*Utrum Christus meruerit omnibus gratiam. Conclusio est affirmatiua.*

Aegid. 2. sent. dist. 27. q. 1. ar. 2. & dist. 26. q. 2. art. 1. & dist. 29. dub. 6. later. Capr. dist. 29. 2. sent. art. 2. Thom. ab Arg. eadem dist. q. 1. art. 3. D; Th. 1. 2. q. 114. ar. 6. & de verit. q. 27. ar. 7.



**A**D hunc Articulum sic proceditur. Videtur, quod Christus non meruerit omnibus gratiam: quia et si meritum Christi sit efficacius omni alio merito; tamen multi, ut patet, non consequentur gratiam: ergo eam omnibus non meruit.

Ephes. c. 5. Præterea. Ad Ephes. 5. dicitur: *Exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* si verò exurgemus à mortuis, antequam Christus nos illuminet, iam non indigemus gratia Christi, sed sine eo exurgemus à peccato; ergo &c.

D. P. Aug. in q. vet. & noui test. q. 127. ar. 4. Præterea. Secundum August. in quæstionib. vet. & noui Testam. q. 127. *Adam factus, Sanctum accepit Spiritum, quem peccando amisit; sed Christus non erat ante Adam: ergo gratia Adæ non fuit per Christum.*

**I**N CONTRARIUM est, quod idem Augustinus 14. de Ciuit. Dei pluribus in locis dicit: *Nullus saluatus est à principio Mundi vsque nunc, nisi per gratiam Mediatoris, idest Christi: ergo.*

## RESOLVTIO.

*Si Adam permansisset in statu innocentia, fuisset translatus per gratiam gratum facientem ad alium statum salutis, & vite æternæ; sed post lapsum Adæ nullus est modus salutis, nisi per gratiam Christi Mediatoris, qui eam omnibus promeruit cumulatissimè.*

Duos modi salutis. **R**ESPONDEO dicendum, duos fuisse modos salutis, nec potuisse esse

**A** plures, vnum sub Adam, & alium sub Christo: & si Adam perstitisset, modus salutis sub Adam habuisset plures status. Nam Adam prius fuit productus cum iustitia originali, & iste status durasset vsque ad impletionem præcepti: si autem steterisset, & impleuisset præceptum sibi factum, steterisset cum impletionem mandati vsque ad beneplacitum Creatoris, & vsquequò Deus ordinauerat, incœpisset alius status eius, & simul cum originali iustitia, sibi fuisset collata gratia gratum faciens, in qua sine morte de vita, quam poterat non mori, translatus fuisset ad vitam, in qua non potuisset mori. Propter quod Hugo de S. Victore lib. 1. par. 6. cap. 9. ait: *Quod diu autem in hac vita terrena homo manere debuisset, argumentum maius haberi non potest, nisi quia probabile omninò est, quod post peractam obedientiam, si in ipsa obedientia perstitisset, supple, iuxta diuinam prouidentiam, ad præmium ipsius obedientie transferri debuisset, quatenus sine mortis interpositione, de primo statu, ubi habuit posse non mori, ad alium statum transfret, ubi amplius mori iam omninò non posset.*

Quid si status innocentiæ perdurasset.

Adā in statu innocentia poterat non mori, sed si steterisset, fuisset translatus ad statum ubi potuisset mori.

Interrupto autem illo ordine ex inobedientia Adæ, ex illo primo modo saluandi, siue ex illo ordine, nec ipse Adam, nec alius quis saluatus est, sed illi ordini, vel illi modo salutis successit alius ordo, & illi primo Adæ, qui fuit de terra terrenus, successit secundus Adam, idest Christus, qui fuit de cælo cælestis. Quicumque ergo sunt subsequuti salutem, per Christum sunt consequuti, & nulli ab initio mundi vsque ad finem, siue præcedentes Christum, siue sequentes, possunt consequi salutem, nisi per Christum, ut non sit aliud nomen, sub quo oporteat nos saluas fieri, nisi Christus Iesus; & hoc per gratiam gratum facientem, quam credentes in ipsum consequimur: propter quod Hugo lib. 1. p. 8. cap. 11. dicit: *Scias ergo quocumque tempore ab initio Mundi vsque in finem, nullum fuisse, vel esse verè bonum, nisi iustificatum per gratiam; gratiam autem nunquam aliquem adipisci potuisse, nisi per Christum; ut omnes siue præcedentes, siue subsequentes, vno iustificationis remedio saluatos agnoscas.* Considerent ergo, qui ante peccatum dicunt Adam

Hugo lib. 1. p. 8. c. 11.

Omnes per Christum iustificatur.

gra-

gratiam gratum facientem habuisse, quia nisi per Christum nunquam talis gratia fuit habita: ipse ergo Adam, & omnes alij per Christum habuerunt huiusmodi gratiam, & vsque in finem, non nisi per Christum habebunt. Certum est enim, quod si ordo salutis sub Adam fuisset continuatus, & non fuisset interruptus, post peractam obedientiam ipse Adam, & sui posterij sub eo gratiam gratum facientem habuissent; sed interrupto illo ordine; & succedente ordine Christi Mediatoris, nullus habuit huiusmodi gratiam, nisi per fidem Christi, & sub Christo. Dicere ergo Adam habuisse gratiam gratum facientem ante peccatum, cum habens huiusmodi gratiam sit dignus vita æterna: & sit dignus salute, est dicere, aliquem non sub Christo, nec per Christum habuisse gratiam, & esse dignum salute, quod est contra veritatem; & contra dictum Hugonis dicentis: *Quocunque tempore ab initio mundi vsque in finem, nulum habuisse gratiam, nisi per Christum.*

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quod meritum Christi præualet omni merito: & si ex merito eius aliquis non consequitur gratiam; hoc est, quia præbet obicem, & impedit seipsum ad gratiam recipiendam: De plenitudine tamen eius omnes accepimus, non omnes efficaciter, quia non omnes saluantur, & efficiuntur iusti, sed omnes sufficienter, quia meritum suum, sufficit ad saluandum totum mundum, etsi essent plures mundi.

Ad secundum dicendum, quod simul sunt tempore, exurgere à mortuis, & illuminari per gratiam; sicut qui mittendo vnum clauum expellit alium, simul est immisso vnius, & expulsio alterius: si autem ibi volumus assignare prius, & posterius, hoc erit quantum ad materiam, & quantum ad agens; quantum ad materiam quidem, prius expellitur vnus clauus, quam immittatur alius; quia iste non immittitur in materiam, nisi quia ille expellitur.

Quantum autem ad agens est è conuerso, quia agens, cum alium clauum expellit, non hunc immittit: sicut etiam

Aegid. super iij. Sent.

patet de impressione, & expulsionem formæ; nam prius materia intelligitur priuari vna forma, quam recipiat aliam; agens verò, quia non expellit formam oppositam, nisi imprimendo propositam, prius intelligitur imprimere, quam expellere: sic est in proposito, simul est expulsio iniustificationis, & resurrectio à mortuis, & infusio gratiæ; & si est ibi prius, & posterius, hoc erit inter peccatorem iustificatum, & Deum iustificantem. Totum enim, vel vtrumque est hominis, vt suscipientis, & totum, vel vtrumque est Dei, vt efficientis; in homine enim suscipiente simul est expulsio iniustificationis, & susceptio gratiæ iustificantis: Deus enim simul expellit iniustificationem, & infundit gratiam iustificantem: si autem est ibi prius, & posterius, quantum ad suscipientem, & efficientem, hoc erit modo, quod dictum est.

Ad tertium dicendum, quod Adam ante peccatum non habuit gratiam gratum facientem, quæ solum datur per Christum; sed habuit iustitiam originalem, quæ largè loquendo appellatur gratia, & charitas, & mediante hoc dicitur in eodem sensu habuisse Spiritum Sanctum: ideo Magister dicit in 2. sent. quod homo in statu innocentiae habuit vnde posset stare, sed non perficere.

DISTINCTIONIS XVIII.

Secundæ Partis Principalis

QVAESTIO SECUNDA

*De excellentia eorum, quæ nobis Christus promeruit.*



N secunda parte principali præsentis distinctionis, videbimus excellentiam eorum, quæ nobis Christus promeruit super illa, quæ habuissimus in statu

innocentiæ, si permansisset.

Quomodo se habent materia, & agens in expulsionem, & introductionem formæ.

Gratia dupliciter sumitur, communiter, & proprie, primo modo etiam iustitia originalis dicitur gratia; secundo modo Adam non habuit gratiam in statu innocentiae, sed primo modo.

De plenitudine Christi omnes acceperunt sufficienter, sed non omnes efficaciter.

Liberari à peccatis, & recipere gratiam sunt simul tempore, licet possit ibi assignari prius & posterius respectu agentis, & recipientis.



ARTICVLVS I.  
ET VNICVS.

*Utrum ea, qua nobis Christus promeruit, sint excellentiora illis, qua habuiffemus in statu innocentiae, si permaniffet, ita vt status sub Christo fit melior statu sub Adamo, etiam ante peccatum. Conclusio est affirmatiua.*

Aegid. 2. sent. d. 29. q. 1. ar. 2. dub. 2. later. Cabr. ad 3. p. q. 1. disp. 1. D. Thom. p. 1. q. 95. art. 4. Caiet.



**A**D hunc Articulum sic proceditur. Videtur, quòd ea, quæ nobis Christus promeruit, non sint excellentiora illis, quæ habuiffemus in statu innocentiae, si permaniffet, ita vt status sub Christo fit melior statu sub Adamo, etiam ante peccatum: Quia in statu innocentiae natura humana erat magis pura, quàm post Christum; sed in materia pura plus recipitur de forma, quàm in non pura: ergo in natura humana plus fuiffet receptum de gratia, & charitate tunc, quàm postea.

Præterea. Voluntas hominis tunc nullum habuiffet retractiuum: ergo maiori conatu tendiffet in Deum, quàm post Christum, in quo statu retrahitur ab amore Dei à multis: ergo, &c.

Præterea. Potentia non impedita potest ferri in maius obiectum, vt intellectus non impeditus potest ferri in maius intelligibile: ergo, &c.

**I**N CONTRARIVM est Magister, qui in 2. sentent. dist. 29. dicit: *Adam in illo statu poterat stare, sed non proficere; in statu autem sub Christo possumus stare, & proficere: ergo &c.*

RESOLVTIO.

*Status sub Christo est melior statu sub Adamo ante peccatum; quia ille status sub*

**A** Christo est magis spiritualis, iste magis animalis; ille in societate Angelorum, iste in participatione terrenorum; ille nouus, iste vetus; ille magis propinquus gloriae, iste natura; ille magis liber, iste minus liber.

**R**ESPONDEO dicendum, quòd possumus accipere quinque de sacra Scriptura; quòd status sub Christo est melior statu sub Adamo, etiam ante peccatum; quæ licet possint referri ad Adam post peccatum, possunt etiam ad ipsum ante

**B** peccatum adaptari.

Vnum est, quia primus homo Adam factus est in animam viuentem; nouissimus Adam in spiritum viuificantem.

Secundum, quòd primus homo est de terra terrenus; secundus homo de cælo cœlestis; quæ duo leguntur 1. Corinth. cap. 15.

Tertiò dicitur de Christo ad Ephes. 4. *Renouamini in spiritu mentis vestrae, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.*

**C** Quartò Dixit etiam Christus Io. 3. & 8. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.*

Quintò Dixit etiam Ioannes cap. 8. *Si Filius vos liberauit, verè liberi estis.* quæ omnia possunt adaptari ad Adam, non solum post, sed etiam ante peccatum; nam etiam ante peccatum, & Christus poterat dici cœlestis, & Adam terrenus: Christus in spiritum viuificantem, Adam in animam viuentem; Christus nouus nos regenerans, & liberè liberans: Adam autem non sic, etiam ante peccatum. Sciendum ergo, quòd status primi parentis ante peccatum, & status iustorum post peccatum, vt patet per Augustinum 14. de Ciuit. Dei. cap. 15. *Se habent vt excedentia, & excessa:* & hoc sufficit ad firmitè ostendendum, Adam vltra originale iustitiam non habuisse gratiam gratum facientem; quia si habuiffet vtramque, nullus status, nec iustorum, posset præferri illi: Habuerunt ergo se illi status, vt excedentes, & excessi; quia quantum ad delectationem præsentis boni, ille status excedebat; quantum ad firmam spem societatis Angelorum status iustorum,

etiam ante peccatum Christus poterat dici cœlestis, & Adam terrenus.

D. P. Aug. 14. de Trinit. c. 15. t. 3.

Adā in statu iustitiæ originalis non habuit gratiā gratum facientem.

etiam

etiam in hac vita excedet statum illum : Verum , quia ubi est dare excedentia , & excessa , simpliciter loquendo, vnum magis excedit simpliciter , quam aliud : potest probabiliter substineri , quod status nunc iustorum est status simpliciter magis excellens , quam status primi Parentis ; & si à nobis , vel ab alijs , aliquando dictum inueniatur , potest exponi quantum ad aliquas excellentes conditiones existentes in illo statu .

Dabimus ergo quinque differentias propter quinque superius tacta inter statum primi parentis , & istum statum iustorum .

Primò , quia ille status magis fuit animalis ; iste autem magis spiritualis , quod declarat præceptum eis datum ; *Vt de omni ligno ederent , præterquam de ligno , &c.* sed esus ciborum ad animale statum pertinet , non ad spirituale ; sed iste status est magis spiritualis , in quo præcipitur nobis , vt adhæreamus Deo , & simus vnus spiritus cum illo : ideo Apost. vt supra tetigimus ; loquens de primo homine , & de Christo , ait : *Primus homo factus est in animam viuentem* , quia status ille dici poterat animalis : sed Christus factus est in spiritum viuificantem , quia status sub Christo potest dici spiritualis ; & quia simpliciter loquendo , spiritualis est potior animali , quamuis ille status haberet plures nobiles conditiones , quas non habet iste ; simpliciter tamen loquendo , iste potest præferri illi .

Secundò , quia ille status magis fuit in dominio terrenorum ; quia productis primis parentibus , dictum fuit eis , *Crescite , & multiplicamini , &c.* sed iste status magis est in participatione societatis Angelorum ; est enim status nunc iustorum in gratia gratum faciente , in qua participamus cum Angelis ; ille autem erat in originali iustitia , qua propriè loquendo , non indigent Angeli , quia non habent sensualitatem repugnantem rationi , nec corpus animale , indigens alimentis ; immò eo ipso , quod nobis non restituitur originalis iustitia , qua non indigent Angeli , sed restituitur nobis innocentia , in qua fuerunt producti Angeli ; & sub Christo datur nobis gratia , in qua nos participamus cum Angelis , sufficienter instruimur ,

A quòd vita iustorum magis pertinet ad vitam Angelorum , quam primorum parentum , vt sit vita iustorum tota cœlestis , & dicant cum Apostolo : *Nostra conuersatio in Cœlis est* : ex hoc etiam concludi potest , quod vita iustorum , loquendo simpliciter , est præferenda vitæ primorum parentum .

Tertio ; quia iste status debet dici magis nouus , quam ille , quantum enim ad illam gratiam totus est in participatione æternitatis ; ideo potest dici magis nouus , quia hoc est esse nouum , esse propinquum suo principio , & quia per participationem gratiæ sumus propinquiores nostro principio , id est Deo ; semper in statu isto iustorum nouitas pronuntiatur ; iuxta illud : *Renouabitur vt Aquila iuuentus tua* ; & illud Apost. *Renouamini* , &c. ille autè status non est sic nouus , quia non est sic in participatione æternitatis ; nam per originalem iustitiam non sumus sic participes vitæ æternæ , sicut per gratiam : cum autem non dicatur originalis iustitia vita æterna , sicut dicitur gratia ; *gratia autem Dei vita æterna* : esse autem , quod est propinquius Deo æterno , & habet magis participationem æternitatis , esse præferendum simpliciter , non est dubitandum .

Quarto . status primorum parentum est magis propinquus naturæ ; status autem iustorum est magis propinquus gloriæ : erat enim ille status in posse non peccare ; status autem iustorum est , non solum in posse non peccare , sed in posse prouidere , & gloriam habere : ille ergo status erat in posse seruare naturam integram ; iste autem in posse adipisci gloriam : Propter quod ille status non erat supra naturam , & ex hoc dici poterat propinquior naturæ ; iste autem status magis est supra naturam , & ex hoc potest dici magis propinquus gloriæ .

Ex quo sequitur , quòd sub Adam , si stetit , militauissemus vt nati ; quia per ipsum nascendo habuissimus originalem iustitiam ; per quam habuissimus aliquem ordinem ad gloriam magis propinquam , & magis directam , quam per solam naturam ; licet non ita directam , nec ita propinquam , sicut per gratiam .

Interrupto autem illo ordine sub Adam , militamus sub Christo , sub quo non ordi-

namur

Aduertètia  
Doctõris ad  
vitandas  
contradi-  
ctiõnes .

Gen. 3. 3.

Esse nouum  
est esse pro-  
pinquum suo  
principio .

Rf. 102.

Rom. 6.

Status pri-  
morum pa-  
rentum erat  
in posse nõ  
peccare ;  
iustorum au-  
tem in isto  
est etiam in  
posse profi-  
cere & glo-  
riam habere .

B

C

D

Militantes  
sub Christo  
non ordinā  
tur ad glo-  
riam, vt na-  
ti, sed vt re-  
nati.

namur ad gloriam, vt nati, sed vt renati, A  
non vt recuperātes originalem iustitiam,  
sed adipiscentes gratiam, quam, simpli-  
citer loquendo, esse potiore[m] originali  
iustitia, cū sit magis quādam partici-  
patio diuinæ naturę, & diuinę glorię,  
quā illa, dubitari non debet.

Cur Adam  
non erat  
verē liber.

Quintò. Iste status, quem habemus  
sub Christo, est magis liber, quā ille,  
quem habuissēmus sub Adam, dato, quòd  
stetisset. Et ideo, vt supra tetigimus, si-  
gnanter dixit Dominus: *Si Filius vos li-  
berauit, &c.* nam Adam non erat verē li-  
ber, dicente Magistro in 2. sent. dist. 29. B  
*Poterat stare, sed non poterat pedem moue-  
re; non est autem verē liber, qui non po-  
test stare rectus ne cadat, & non potest  
mouere pedem, vt proficiat; & quia  
vtrumque facit gratia, non autem vtrum-  
que fecisset iustitia originalis; ideo sim-  
pliciter loquendo iste status potest præ-  
ferri illi; & possumus ex omnibus his  
concludere, quòd iusti in hac vita ha-  
bent gratiam, non originalem iustitiam:  
Adam autem ante peccatum habuit è  
conuersò.*

### RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum argumentum dicendum,  
quòd cū Adam non habuerit gratiam,  
gratum facientem, sed tantū origina-  
lem iustitiam, per quam poterat stare,  
sed non proficere; si comparamus opera  
Adæ pro illo statu ad opera iustorum, pro  
isto statu; quantum ad stare, certum est,  
quòd se habent vt magis, & minus, quia  
Adam pro illo statu, omninò plus accep-  
pit, quantum ad posse stare, & nos omni-  
nò minus; quia ille omninò poterat feli-  
citer magis stare; sed si comparemus  
opera illa, & ista quantum ad proficere,  
non se habent, vt magis, & minus, sed  
vt nihil, & aliquid; quia Adam pro illo  
statu nullo modo poterat proficere; nos  
autem possumus proficere.

Adam plus  
accepit,  
quam nos,  
quātū ad  
posse stare;  
nos autem  
plus eo,  
quātū ad  
posse profi-  
cere.

Et per hæc dicta patet responsio ad  
secundum, & tertium  
argumentum.



### DISTINCTIO XIX.



V N C ergo  
queramus, &c.  
Quia in supe-  
riori distinctio-  
ne determina-  
uit Magister de  
merito Christi,  
prout ordina-  
batur ad con-

sequutionem boni sibi, & nobis: hic pro-  
sequitur tractare de eodem, prout or-  
dinatur ad remotionem mali in nobis,  
ipse autem non fuit culpę subiectus; &  
consequenter pœnę debitor non extitit.  
Diuiditur autem præsens distinctio in  
duas partes principales, in quarum pri-  
ma ostendit à quibus per Christi mortem  
simus liberati. In secunda causam passio-  
nis expendit. Secunda incipit ibi: *Si verò  
queritur, &c.* in principio 20. distinct.  
Prima verò pars, quę est præsentis distin-  
ctionis diuiditur adhuc in partes duas; in  
prima enim ostendit à quibus malis Chri-  
stus sua passione, & morte nos eripuerit:  
in secunda agit de his, quę de Christo di-  
cuntur ratione huius liberationis. Secun-  
da ibi: *Vnde & ipse verè dicitur mundi  
Redemptor, &c.* Prima adhuc in tres par-  
tes diuiditur, in prima determinat de li-  
beratione à peccato, & à Diabolo. Secun-  
dò specialiter de libertate à Diabolo.  
Tertiò de libertate à pœna. Secunda  
pars incipit ibi: *Factus est ergo homo mor-  
talis, &c.* Tertia ibi: *A qua pœna tempo-  
rali, & aeterna, &c.*

Secunda verò pars principalis, in qua  
agit de ijs, quę dicuntur de Christo ra-  
tione huius liberationis, diuiditur etiam  
in tres partes, in prima ostendit, quòd  
Christus ratione huius liberationis dici-  
tur Redemptor, In secunda, quòd dicitur  
Mediator. In tertia secundū quam na-  
turam dicatur Mediator. Secunda pars  
incipit ibi: *Qui solus dicitur Mediator,  
&c.* Tertia ibi: *Vnde & Mediator dicitur  
secundū humanitatem.* Et sic termina-  
tur sententia præsentis distinctionis.

Circa hanc distinctionem, in qua agi-  
tur

tur de Christo Redemptore, Liberatore, & Mediatore inquiremus duo. Primum de libertate; quam per Christum sumus consequuti. Secundum de pace cum Deo ob-  
tenta per Mediatorem.

DISTINCTIONIS XIX.

Et Partis Primæ Principalis.

QVAESTIO PRIMA

De libertate, quam per Christum consequuti sumus.



VI A in prima parte ostendit Magister à quibus malis Christus per suam passionem, & mortem nos liberavit, inquiremus duo.

Primum. Vtrum per Christum libertatem consequuti sumus.

Secundum. Vtrum plures infecerit Adam sua culpa, quam redimerit Christus sua morte.

Circa libertatem quaeremus duo.

Primum. Vtrum per Christum libertatem consequuti sumus, vt dictum est.

Secundum. Vtrum Christus sua passione, & morte liberaverit nos ab omnibus peccatis, etiam futuris.

ARTICVLVS I.

Vtrum per Christum libertatem sumus consequuti. Conclusio est affirmatiua.

Accid. super epist. D. Pauli ad Rom. cap. 13. lect. 42. dub. 1.



D primum sic proceditur. Videtur, quod per Christum non sumus libertatem consequuti. Nam, Apost. ad Rom. cap. 13. ait ad Fidem Christi con-  
uersis: *Omnis Anima potestatibus subli-*

*mioribus subdita sit*. Remanente subiectione post Christi mortem, signum est, quod non sumus libertatem per Christi mortem consequuti.

Præterea, Idem Apostolus ibidem ait: *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*. quibus verbis videtur velle, quod alia debita cum exoluuntur, non amplius per illa obligamur: sed debitum dilectionis proximi, etiam persolutum, non liberat nos ab obligatione dilectionis: ergo per Christum non sumus à debitis liberati.

Præterea, Idem Apost. ibid. *Qui resistunt potestati, sibi damnationem acquirunt*: ergo debemus potestati obedire, & per consequens non sumus per Christum libertatem consequuti.

IN CONTRARIUM est illud Ioannis cap. 8. *Si Filius vos liberavit, verè liberi estis*. Fideles ergo, qui per Christum liberati sunt, verè sunt liberi.

Io. cap. 8.

RESOLVTIO.

*Libertas, quam per Christum sumus consequuti, est spiritualis, remanemus tamen seruituti temporali obnoxij propter fomitem in nobis relictum, quo habemus malitiam in affectu, & ignorantiam in intellectu, ex quibus duabus causis fuit necessarius Principatus temporalis,*

RESPONDEO dicendum, quod vt communiter dicitur, libertas ista, quam per Christum consequuti sumus, est libertas spiritualis, per quam liberamur à peccato, & morte, iuxta illud ad Rom. cap. 8. *Lex enim vitæ in Christo Iesu liberavit me de lege peccati, & mortis*. sed propter carnem, & propter fomitem peccati in ea existentem, licet in Baptismo debilitetur, non tamen totaliter tollitur, & ideo remanemus obnoxij seruituti, & propter hunc fomitem indigemus principante. Causæ autem sunt duæ, quare ordo Principatus sit necessarius: Vna est ex parte malitiæ in affectu, quia multi propter malitiam, ad quam inclinantur, non se corrigerent, nisi per leges habentes coactiuam potentiam; & per Principem habentem gladium, & iudiciariam potestatem. Secunda causa est ex parte ignorantie in intel-

Rom. c. 8.

Fomes peccati in Baptismo debilitatur, sed non totaliter tollitur.

Principatus causæ, quæ non fuerint.

intellectu ; quia multi nescirent se dirigere, ideo Prælato , & Principe dirigente indigent . Ergo propter fomitem peccati, qui inclinatur ad malitiam in affectu , per quam incurrimus cœcitatē in intellectu , debemus subijci Prælationi, & Potestati .  
 Quando ergo regnat hic fomes , de quo ait Apost. Rom. 7. *Carni autem seruis legi peccati* , indigemus principante , & corrigente . sed post Resurrectionem , quando *creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* ; ut ait Apost. Rom. 8. Tunc non indigebimus tali principatu , iuxta illud Corinth. 18. *Cum tradiderit Christus Regnum Deo Patri* , cum euacuauerit omnem principatum, potestatem, & virtutem ; talia enim tunc euacuabuntur ; non enim tunc erunt huiusmodi principatus, & huiusmodi prælationes , ut nunc existunt .

Rom. 7.

Potestas, & Prælatio- nes post Resurrectionē inter homines non erunt.

## RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum , quòd libertas est duplex , vna est à peccato , & morte , & dicitur libertas spiritualis , & hanc libertatem sumus per Christum consequuti ; altera est corporalis , & temporalis , à qua propter fomitem causantem malitiam in affectu , & ignorantiam in intellectu, non sumus liberati per Christum , sed remansimus subiecti potestati , & prælationi temporali : liberabimur autem post Resurrectionem vniuersalem , ut explicatum est .

Libertas duplex spiri- tualis, & temporalis, vel corporalis; à prima Christus nos liberauit, non à secunda.

Dilectionis debitu non quæ perfolui potest, ita ut diligendi non remaneat obligatio.

Ad secundum dicendum , quòd amor procedit ab amante, & tendit in amatum, sicut debitum procedit à debitore, & pro- tendit in illum , cui debetur ; quare cum hoc sit debitum reddere , quod procedat debitum à debitore, & tendat in illum , cui debetur, sic, hoc est debitum dilectionis reddere, quòd procedat amor ab amāte, & quòd tendat in personam illam, quæ amatur, & quia semper tenemur amorem nostrum dirigere in alium, nunquam possumus hoc debitum toties perfoluere , quin semper teneamur ad illud . Est autem triplex ratio , quare aliquando debi- tum non possit toties perfolui , quin semper ad illud teneamur. Primò propter rem debitam . Secundò propter causam debendi. Tertio propter modum exoluendi,

& reddendi . Primum sic patet , nam si res debita esset tanta, quòd tu non posses reddere æquiualens , semper deberes debitum perfoluere , & nunquam posses debitum euacuare, quia non posses ad equalitatem pertingere : secundum quem modum loquitur Philosophus in Ethic. *Deo, parentibus, & magistris non possumus reddere æquiualens* : sic & in proposito, cum debeamus diligere proximum propter Deum , cui non possumus reddere æquiualens , non possumus toties illud debitum exoluere , quin semper , & assidue obligemur ad soluendum .

Arist. &amp; Eth.

Secunda ad hoc idem potest sumi ex causa debendi; nam causa , propter quam obligamur ad diligendum proximum , est similitudo naturæ, vel gratiæ : & quia ista causa semper manet , semper obligamur ad debitum perfoluendum .

Tertia ratio sumi potest in modo soluendi: nā illud, quod in soluendo non euacuatur, sed augmētatur, per solutionē eius nō soluimur à debito soluendi, sed magis ad hoc debitum obligamur; charitas verò est huiusmodi, quia quātò plus diligimus, & magis hoc debitū perfoluimus, eo magis augmentatur dilectio charitatis ; & quia charitas in soluendo multiplicatur, ideo semper debemus velle obligari ad hoc debitum , & semper debemus hoc debitum perfoluere, ut soluta charitas, & red- dita magis, ac magis suscipiat incrementum : hæc autem obligatio , cum sit maxima perfectio, neque seruitus dici possit, quia à libera voluntate procedit amor, & dilectio ; ideo non fuimus à Christo liberati ab hac diligendi obligatione .

Ad tertium dicitur , quòd Apostolus in illis verbis : *Qui potestati resistunt, sibi damnationem acquirunt* , loquitur de potestate , quæ est à Deo ordinata , quæ ut est ordinata, qui resistit ei, sibi damnationem acquirit ; sed si non sit ordinata , & maximè contra Deum , qui resistit, non damnationem , sed saluationem meretur . Nam , ut Glossa super dicta verba ponit exemplum : si videmus in rebus humanis, quòd Imperator est supra Proconsulem , Proconsul super Exactorem, vel Procuratorem : si Exactor, vel Procurator præcipiat contra iussionem Proconsulis, obedire debemus Proconsuli, non Exactori; & si Pro-

Obligatio diligendi non est seruitus, sed libertas; ideo ab ea Christus nos non liberauit.

Proconſul præcipiat contra Imperato-  
riam Maieſtatem, recta ratio dictat obe-  
diendum eſſe Imperatori, non Proconſu-  
li. Sic & in propoſito: ſi Imperator, vel  
quicumque Princeps contra iuſſionem di-  
uinam edictum faceret, obediamus Deo,  
& non homini, & dicamus, quòd obedi-  
re oportet Deo magis, quàm hominibus;  
& Martyres ſic facientes, coronam me-  
ruerunt. Quando ergo poteſtas eſt à Deo  
ordinata, illi obedire debemus, quia ab  
iſta ſubiectione non fuimus per Chriſtum  
liberati; immò propter fomitem peccati  
malitiæ, & ignorantie, neceſſe fuit ordi-  
nare Prælationem, & Poteſtatem: ſed li-  
berati fuimus à morte, & peccato, vt di-  
ctum eſt.

A poteſta-  
re ordinata  
à Deo non  
ſumus libe-  
rati per  
Chriſti mor-  
tem: ſed à  
poteſtate  
mortis, &  
peccati:  
ideo iſti, &  
non illi po-  
teſtati reſi-  
ſtere debe-  
mus.

A cap. 6. ait: *Chriſtus ſubſtinuit mortem, vt  
tolleret peccata noſtra præterita, præſentia,  
& futura: ergo &c.* Rom. c. 6.

R E S O L V T I O.

*Chriſtus deleuit omnia peccata noſtra, &  
ab eo habuimus Vitæ veteris deſertio-  
nem, peccatorum abſolutionem, noua  
vitæ inchoationem, fomitis debilitatio-  
nem, cœleſtis gloriæ expectationem, &  
perſeuerantem iuſtificationem.*

B R E S P O N D E O dicendum, quòd  
circa Chriſtum, quantum ad præſens ſpe-  
ctat, ſex ſunt notabiliter attendenda. In Chriſta  
ſex confi-  
ratur.  
Primò, quia ipſe mortuus fuit. Secundò  
ſepultus. Tertiò reſurrexit. Quartò poſt  
Reſurrectionem, crucis vulnera in proprio  
corpore portauit, & ea Thomæ, & alijs  
Apoſtolis oſtendit. Quintò ad Cœlos  
aſcendit. Sexto immortaliter viuunt, vt  
mors ei ultra dominari non poſſit. Sic  
nos, quantum ad præſens ſpectat, ſex per  
Chriſtum hæreditauimus, ſicut habere  
poſſumus.

C Nam primò per Chriſtum à peccato  
liberati, habemus vitæ veteris deſertio-  
nem. Secundò peccatorum plenam abſo-  
lutionem. Tertiò Vitæ nouæ inchoatio-  
nem. Quartò fomitis debilitationem.  
Quintò Cœleſtis gloriæ expectationem.  
Sexto perſeuerantem iuſtificationem: &  
iſta ſex ſunt ad illa ſex referenda. ſex per  
Chriſtū hæ-  
reditauimus.

Nam veteris vitæ deſertio, referenda  
eſt ad Chriſtum morientem; quia cum  
vitam veterem deſerimus, Chriſtum mo-  
rientem, qui hanc mortalem vitam deſe-  
ruit, imitamur. Secundò. Plena abſo-  
lutio peccatorum, tam à pœna, quàm  
à culpa referenda eſt ad Chriſtum in ſe-  
pulchro iacentem; vt ſicut ille in ſepul-  
chro iacens quieſcebat, ſic nos per ple-  
nam abſolutionem reddimur quieſcentes,  
vt dicamur ex hoc, conſepulti ſumus  
cum Chriſto in morte, ideſt in peccato-  
rum abſolutione, vt Gloſſa exponit. Ter-  
tio nouæ vitæ inchoatio referenda eſt ad  
Chriſtum reſurgentem; vt ſicut ille reſur-  
gendo nouam vitam inchoauit; ſic nos  
deſerentes veterem vitam peccati, nouo  
modo viuamus iuſtitiæ. Quartò fomitis  
debilitatio, referenda eſt ad Chriſtum  
iam

A R T I C V L V S II.

*Utrum Chriſtus ſua Paſſione, & morte  
liberauerit nos ab omnibus peccatis,  
etiam futuris. Concluſio eſt  
affirmatiua.*

Aegid. ſuper Epift. D. Pauli ad Rom. cap. 6. lect. 19.



S E C V N D O quæri-  
tur. Utrum Chriſtus  
ſua paſſione, & morte  
liberauerit nos ab om-  
nibus peccatis etiam  
futuris. Et videtur,  
quòd non: quia nihil  
tollitur, quod non eſt; ſed peccata præ-  
terita, & futura non ſunt; ergo per Chri-  
ſti paſſionem non ſunt ablata.

Præterea. D. Paulus ad Rom. cap. 6. in-  
quit: *Iudicium eſt ex vno delicto in con-  
demnationem; ſed Chriſtus liberauit nos  
ſua morte ab eo, propter quod condem-  
nabamur; condemnabamur autem vno  
delicto: ergo ab vno tantum delicto nos  
liberauit, & non ab omnibus.* Rom. c. 6.

Præterea. Si Chriſtus nos liberaſſet  
ab omnibus peccatis, etiam futuris: ergo  
omnes ſalutemur, ſed multi damnantur  
propter peccata, quæ committunt: ergo  
non ab omnibus Chriſtus nos liberauit.

I N C O N T R A R I V M eſt, quòd  
Gloſſa ſuper Epift. D. Pauli ad Romanos

iam resurgentem, & vulnera in proprio corpore portantem; nam nos postquam cum Christo resurgimus, & postquam nouam vitam inchoamus, debemus cruci esse affixi per fomitis debilitationem: nam licet ille fomes non totaliter per Baptismum extirpetur, tamen debilitatur, & crucifigitur. Quinto coelestis gloriae expectatio referenda est ad Christi Ascensionem, vt sicut ille ad Caelum ascendit, sic nos per spem, & expectationem ad caelestem patriam, & ad coelestem vitam tendamus. Sexto. Perseuerans iustificatio referenda est ad Christum immortaliter viuentem; vt sicut Christus non vltorius morietur, sed quod viuit, viuit Deo; sic nos mortui peccato, non vltorius ad peccatum redeamus.

**A** mitem iam erant. Passio ergo Christi aliquo modo tollit peccata futura, in quantum per passionem illam crucifigitur, & debilitatur fomes peccati.

Ad secundum dicendum, quod Adam per primum delictum perdidit iustitiam originalem, & si postea alia peccata commisit, illa peccata sequentia originalem iustitiam subtrahere non potuerunt, quia iam illam perdidit.

**B** Primum ergo peccatum originale, tollens originalem iustitiam ab Adam, nobis imputatur, & nos damnificauit: alia autem peccata postea, si quae commisit, nobis non directe nocuerunt; & ideo dicitur per vnum delictum in condemnationem: tamen passio Christi abstulit omnia delicta, quia vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia.

Ad tertium dicendum; quod Christus liberauit nos a peccatis sufficienter, non autem efficaciter; qui enim non cooperantur Passioni Christi, & sibi eius merita non applicant, damnantur; non ex insufficientia Passionis Christi, sed ex defectu eorum, qui talem passionem negligunt.

*Apost. in loco citato loquitur de peccato originali, quod nos omnes insecit; & illud abstulit Christus in sua morte; non tamen sequitur, quin abstulerit, & omnia alia peccata aequalia.*

*Christus liberauit nos a peccatis sufficienter non efficaciter.*

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum argumentum respondetur, quod licet praeterita peccata non sint actu, quia cum quis desinit peccare, cessat actus peccandi; sicut cum cessat mouens, cessat motus; remanent tamen peccata quantum ad infectionem, idest quantum ad habitum vitiosum, quia licet actus transeat, habitus tamen remanet: Manent etiam peccata quantum ad reatum, idest quantum ad obligationem ad poenam.

*Peccata praeterita non remanent quantum ad actum, sed quantum ad habitum, & ad reatum.*

*Quid sit reatus.*

*Mors Christi in Sacramento Baptismi quid operatur.*

Mors ergo Christi, & maxime prout operatur in Sacramento Baptismi, tollit praeterita peccata, & quantum ad culpam, idest quantum ad diuinam offensam; & quantum ad habitum vitiosum: & etiam quantum ad reatum, vt quantum ad obligationem ad poenam, ita vt si baptizatus decederet, statim euolaret ad gloriam.

*Mors Christi peccata futura deleuit dupliciter, scilicet quantum ad sufficientiam, & debilitando fomitem peccati, quod in nobis remanet.*

**D** De peccatis autem futuris dicere possumus, quod mors Christi illa tollit dupliciter. primo quantum ad sufficientiam, quia tanta fuit vis passionis Christi, vt non solum sufficiat ad tollenda peccata, praesentia, & praeterita, sed etiam futura; quia nunquam poterunt in futurum tot peccata fieri, vt possint euacuare virtutem passionis Christi; sed semper sufficiens erit Passio Christi ad omnia peccata tollenda.

Vel dicere possumus, quod licet peccata futura non sint in se, tamen quantum ad suam radicem, & quantum ad fo-

DISTINCTIONIS XIX.

PRIMAE PARTIS

QVAESTIO SECVNDA

PRINCIPALIS.

*De comparatione inter culpam Adae, & redemptionem Christi*



**A** EC questio habet vnicum Articulum. Vtrum plures infecerit Adam sua culpa, quam redemerit Christus sua morte.





ARTICVLVS I.

*Utrum plures infecerit Adam sua culpa, quàm redemerit Christus sua morte. Conclusio est negativa.*

Aegid. super Epist. D. Pauli ad Rom. c. 6. lect. 18.



**A**D hunc Articulum sic proceditur. Videtur, quòd plures infecerit Adam sua culpa: quia per Adam omnes inficiuntur: sed per Christum non omnes iustificantur: ergo, &c.

Math. 12. Præterea Matth. 12. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neque in futuro: ergo si est irremissibile, plures infecit Adam, quàm Christus redemerit.*

1. Io. 5. Præterea 1. Io. dicitur: *Peccatum ad mortem non pro illo dico, ut oret quis; sed illud, pro quo non est orandum est irremissibile; ergo illa peccata non sunt deleta, per Christum, quia essent remissibilia, & posset orari pro illis, qui ea commiserunt; ex quo infertur Adam plures infecisse, quàm Christus sua morte redemerit; quia peccata omnium, qui fuerunt redempti à Christo, sunt remissibilia, loquendo de hominibus.*

IN CONTRARIVM est, quia D. Paulus ad Romanos 8. dicit: *Si vnus delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnus hominis Iesu Christi abundauit in plures: ergo, &c.*

RESOLVTIO.

*Plures redemit Christus, quàm infecit Adam; quia Adam infecit pueros, sed Christus redemit pueros, & adultos. Adam infecit omnes à se descendentes, & Christus redemit omnes, tam ab Adam, quàm ab alijs hominibus descendentes, si fuissent plures mundi creati, & plures homines ab Adam non dependentes; quia infinita dignitatis erat persona Christi, quæ nos redemit.*

Aegid. super iij. Sent.

**A** RESPONDEO dicendum, quòd ad hanc quæstionem possumus tripliciter respondere.

Primò, quòd ly, plures, non se teneat comparatiuè, sed idem valet, quòd multi: consuetudo enim loquendi est, quòd cum voluerimus dicere aliquos esse multos, dicimus illos esse plures; secundum ergo hoc erit sensus; quòd sicut vnus delicto multi mortui sunt, ita gratia Christi multi iustificati sunt; quia gratia Christi abundauit in plures, idest in multos.

Secundò potest solui, vt ly, plures, teneatur comparatiuè, sed non dicat pluralitatem suppositorum, sed materierum; quia, licet per Christum non sint pluralia supposita humana iustificata, quàm per Adam infecta; tamen plures maneries hominum iustificantur per Christum, quàm inficiantur per Adam: nã per Adam non inficiuntur nisi paruuli per peccatum originale; sed adulti, vt adulti sunt, non inficiuntur directè per Adam, sed si inficiuntur, hoc est per peccatum proprium, & actuale: peccatum verò Adæ inficit paruulos per originem: sed peccatum proprium inficit adultos per propriam voluntatem: Christus ergo, qui per suam gratiam non solum iustificat paruulos, & tollit peccatum originale, sed etiam iustificat adultos, & tollit peccatum actuale, plures iustificat Christus, quàm inficiat Adam; non quantum ad suppositorum pluralitatem, sed materierum.

Adulti, vt sic, non inficiuntur directè per Adam, sed bene paruuli.

Tertio modo soluitur etiam, prout ly, plures, tenetur comparatiuè, vt dicamus plures iustificari per Christum, quàm infici per Adam, non quantum ad efficientiam, sed quantum ad sufficientiam; non enim plures efficiuntur iusti per Christum, quàm inficiantur per Adam; sed iustitia Christi sufficit ad plures iustificandos, quàm peccatum Adæ ad inficiendos. Nam peccatum Adæ non potest inficere, nisi procedentes ex Adam; sed si essent multi alij mundi, in quibus essent homines, non procedentes ab Adam, sufficeret passio Christi ad redimendos hos, & illos: infinita enim erat persona Christi, quæ patiebatur: non ergo possunt tot mundi, nec tot modis infici, ad quos redimendos non sufficeret passio Christi.

Si essent multi homines non procedentes ex Adam, sufficeret passio Christi ad illos redimendos, qui ex Adâ non essent infecti.